DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

REMINISCENTIA VITALI

QVATENVS

CAVSA MORBORVM

QVAM

CONSENTIENTE

GRATIOSA FACVLTATE MEDICA

IN REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS

AD D. APRIL. MDCCXLIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT

AVCTOR

GABRIEL MICHAEL DVBINSKI

TILSA-PRVSSVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOH. CHRIST. HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ILLUSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO
HYACINTHO JOSEPHO RYBINSKI,
DIVINA VOCATIONE
ABBATI OLIVENSI S. O. C.
SACRAE REGIAE MAJESTATIS POLONIARUM
SECRETARIO
TOTIUSQUE ORDINIS
COMMISSARIO,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME
ET
REVERENDISSIME DOMINE
DOMINE GRATIOSISSIME.



Non e longinquo petendæ erunt rationes, cur ILLUSTRISSIMO TUO NOMINI hanc dissertationem consecrandam esse duxerim. Si enim vel ILLUSTRISSIMAM TUAM Prosapiam apud me recolam; vel TE in insigni Dignitatis

tatis Ecclesiasticæ gradu constitutum considerem: nihil justius fieri reputare potui, quam ut Meritorum TUORUM splendore percitus TIBI, ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE, publicum quoddam summæ meæ pietatis ederem documentum. Quod cum reverentiæ literarum Mæcenatibus uti par est testificandæ unice innitatur: nullus plane dubito, esse etiam futurum, ut serena fronte intuearis præsens qualecunque monumentum Celebratissimo TUO NOMINI exstructum. Jubeat DEUS T.O.M. TE esse semper incolumem, omnique prosperitatis genere florentem. Ille TE tam eximium Ecclesiæ Decus, tamque illustre S. Ordinis, cui præes, Ornamentum per longam annorum seriem

conſervet. Et quod ad literarum civitatem attinet: illa ſibi ſic diu gratulari poterit de tanto MAECENATE; Cujus ſingulari Benevolentiæ & Patrocinio me jam majorem in modum commendo, perennans

ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS

obſequioſiſſimus cultor

GABRIEL MICHAEL DUBINSKI.



PROOEMIUM.




Si artis cujusdam præstantia ex eo dijudicanda veniat, circa quod illa nempe versatur: Medicina sane nihil erit præstantius, nihil excellentius. Omnes enim res creatas dignitate quadam singulari homo sine dubio antecellit, cujus itaque sanitas maximi æstimanda erit, ad quam conservandam, vel, si fracta fuerit, denuo redintegrandam tota jam tendit Medicina. Quo certius autem est, quod ars medica omnium sit præstantissima: eo gravius etiam animadvertendi erunt errores ab iis commissi, qui huic arti nomen suum profitentur. Non minutioris enim curæ res est, de corio humano ludere velle. Inter tot varios multiplicesque errores, quibus Medicina proh dolor! conspurcata est, ille non levis certe habendus est, qui ex neglecta curatiori contemplatione hominis, utut constantis ex corpore organico arctissime juncto cum anima ratione prædita, suam trahit originem. Damna, quæ inde enascuntur, ingentia sunt: ad quæ jam disertius enarranda, non est, cur multis verbis utar, vel paucis e contrario commonstraturus, quid & quantum utilitatis ab ejusmodi instituta contemplatione hominis in artem medicam proficiscatur, exornati nimirum anima rationis participe & corpori organico maximis quasi mutuæ amicitiæ vinculis obstricta. Cujus rei documenta non ita dispersa sunt & disturbata, ut in iis conquirendis summa prius adhibenda esset diligentia, sed cuivis plane obvia, qui vel mediocriter tantum ad se ipsum attendere didicit. Qui iræ paret, terrore percutitur, tristitiæ indulget: quot quantasque sibi noxas attrahit? Qui in desideriis modum tenere, qui imaginationi nescit imperare: ipse quam variis cruciatibus corpus suum subjicit? En! quantopere corpus consentiat animæ. Quod cum

ita

ita ſit, ut ſtatus corporis cum ſtatu animæ conveniat accuratiſſime: facili igitur negotio intelligi poterit, corporis mutationes ex ſtatu animæ ſæpius eſſe metiendas. Maxima id autem dignum eſt admiratione, prorſusque ſingulare, quod hæc corporis animæque conſenſio non ibi ſolum præſto ſit, ubi tantum objecta quædam adſunt præſentia, quæ anima percipit; ſed tum quoque locum inveniat, licet ejusmodi objecta abſint, antea tamen a nobis fuerint percepta. Teſtatur id quotidiana experientia, a qua multoties confirmatum eſſe, nemo, niſi in veritatem injurius, negabit, quantopere ſcilicet valeat anima, vel leviſſima modo oblata occaſione, perceptiones ante perceptas iterum in ſe ipſa excitare, easque perceptionibus ex objectis quondam præſentibus perceptis plane conformes, ſtipatasque eadem mutationum in corpore caterva. De hujus aſſerti veritate nemo dubitabit, qui modo ex impetrata quadam occaſione hominis cujusdam reminiſcitur, a quo ſibi quondam gravia damna incuſſa fuerunt: certe experturus, quam acerbe refricentur vulnera jam dudum ſanata. Ex quibus omnibus jam manifeſtum eſſe puto, ſatisque probatum: quam utilis, quamque neceſſaria ſit medico ejusmodi contemplatio hominis ſuſcepta, quam ſupra deſcripſimus; quippe cujus duce ad multorum morborum veram indolem & originem penitius inſpiciendam, recteque dijudicandam pertingere licebit. Quamvis vero ejusmodi contemplationis de homine inſtitutæ ſumma ſit utilitas in Medicina: eſt tamen, cur valdopere mireris, quam exiguum vulgo in hac re ponatur ſtudium. Habui igitur ego, quod operæ pretium eſſe futurum judicare potui, ſi præſenti ſpecimine inaugurali, quod jam ex ſtatutis academicis publice exhibendum erat, talis de homine cognitionis hauriendæ aliquod periculum facerem, REMINISCENTIAM VITALEM *quatenus* CAUSAM MORBORUM pertractaturus. De qua conceptas meditationes meas L. B. æque dijudicare velit, & jam ſequentem §§phorum ſeriem excipere.

§. I.



§. I.



Uot quantisque morbis opprimatur homo, quantæque ipsi per omnem fere vitam sint perferendæ calamitates, qui ignoret, spero, fore neminem. Igitur jam antiquus HOMERUS recte indicavit *neminem*, dicens, *imbecillius terra alit homine inter omnia quæcunque in ea vel spirant, vel repunt.* Consideres modo bruta, quæ natura ita condidit, ut eorum vix quodquam morbo facile corripiatur: homo autem solus per tot tantaque rerum discrimina vitæ suæ stadium debet decurrere, ita, ut raro quem invenies, qui nullum unquam in vitæ suæ cursu expertus fuerit morbum, atque ubi non valeat certo sensu illud HIPPOCRATIS *in Ep. ad Damogetum text. 279. homo totus a nativitate morbus est.*

Non a re alienum esse videbatur, sub ipsis hujus tractationis initiis subjectum morborum breviter indicare, quod jam homo

 est,

est, schola medica sic praecipiente. Nam licet brutis animantibus ob analogam partium structuram, texturam, similemque fere totius corporis mixtionem eadem insit ad morbos dispositio: ea tamen rarius in morbos incidere, experientia docet, & B. STAHLIVS peculiari probavit dissertatione. Interim certum est, quod ea bruta, quae molliter & delicatule tractantur, non prorsus sint a morbis immunia. Atque hoc respectu, quod scilicet ex consideratione etiam brutorum sibi notio comparari possit eorum, quae notionem sanitatis & morbi ingrediuntur: bruta subjecto morborum, morbi autem illorum objecto medicinae annumerari possent. Sed cum sola hominis contemplatio huic negotio sufficiat, hominisque conservandi major ratio habenda; idque eo magis, cum ars longa sit, & vita brevis: hinc cura brutorum artis veterinariae magistris relicta, longe excellentius quid constituimus, circa quod tota medicina versatur, hominis nempe sanitatem tuendam, & si laesa fuerit, iterum restituendam, cujus rei solida cognitio indefessum exposcit studium. Cur caeterum homo brutis frequentius aegrotet, & quo sensu HIPPOCRATIS assertum de homine in paragrapho allegatum capiendum sit? de eo *confer.* NENTERVS *in Patholog. pag. 67. & 68.* & CASP. REJES. *Camp. Elys. juc. qu. 99.*

§. II.

Solent a Medicis *caussae morborum* dividi in *materiales* & *immateriales*. Illuc omne id materiale referunt, ex quo intelligi potest, cur homo aeger dicatur; huc autem, ubi ejusmodi quid materialis non adest, corpus tamen morbo corripiatur.

Obvia haec est in scriptis Medicorum inter caussas morborum differentia. Quod caussae morborum materiales dentur, in aprico est. An vero immateriales etiam statui queant, a nonnullis forsan dubitari posset, quas tamen Medici agnoscunt, edocti experientia, quod cum ira, terrore, aliove pathema-

te

te animi tales ſimul in corpore prodeant mutationes, quales ad morbos generandos ſunt aptæ, quarum rationem ex tanto pathemate derivant; ſiquidem ex mechanica corporis ſtructura, ſtatuque antecedenti ſano eandem deducere poſſe incomprehenſibile ſit. Neque ceſſant cauſſæ immateriales, cuicunque etiam ſyſtemati explicandi commercium animæ & corporis nomen tuum profitearis. Conſtat enim, omnia illa tria decantata ſyſtemata commercium animæ & corporis enucleandi in eo convenire, quod qualis fuerit animæ perceptio & appetitio, talis quoque in corpore oriatur motus. Imo licet in Syſtemate Harm. Præſtab. anima apparenter tantum in corpus agere, omnesque tum in anima tum in corpore mutationes harmonice contingere ſupponatur: non impedit tamen, quo minus ex perceptionibus & appetitionibus animæ reddi poſſit ratio, cur tales potius & non alii motus in corpore oriantur *vid. Illuſt.* WOLFII *Pſych. rat.* §. *618.* Atque ideo, quod motus in corpore ſubnati cum perceptionibus & appetitionibus animæ optime congruunt: harmoniſta quoque cauſſas immateriales mutationum in corpore admittere poterit.

§. III.

Cum ſatis notum ſit atque perſpicuum quod homo pro variis cauſſis materialibus, variis quoque morbis obnoxius eſſe poſſit: neque operæ pretium eſſe judicamus, circa hanc materiam diu morari; ſed potius eum, qui hac de re adhucdum dubitare velit, ad ſcholas Medicorum, eorundemque ſcripta relegamus. Quare jam ad quosdam morbos recenſendos properandum erit, qui cauſſis immaterialibus adſcribuntur; ut his præmiſſis fini noſtro eo propius accedamus, &, quod ad tractandum in diſſertatione noſtra ſumſimus argumentum, eo ſolidius explicemus.

§. IV.

Principem ex pathematibus animi locum ſibi vindicare videtur *ira. Cum hac enim in mente ſuborta repræſentatione multa in corpore oriri damna experientia luculentiſſime teſtatur.* Conſideres velim hominem, in quo omnes bonæ & firmæ ſanitatis modo aderant notæ, qui ſimul atque ad iram concitetur, ſanitate ſua ita repente alterata ægro ſimilis redditur, & cui ſæpius vitæ periculum ſubeundum eſt. Humores enim ex partibus interioribus ad externas velociſſime propelluntur: ubi & pro ſui conſtitutione, & affectus hujus indole ac conditione, prout vel vehemens, vel ſolus, vel cum aliis animi pathematibus mixtus oriatur, paria quoque in corpore damna ſubnaſci deprehendimus. Hinc eveniunt congeſtiones, ſtaſes, inflammationes, morbi bilioſi, hæmorrhagiæ &c. Et ſi imprimis iracundo vindictam exercendi omnis præſcindatur occaſio, armis tum quaſi in ſe ipſum converſis, multo graviores excitantur tragœdiæ: ut ſunt convulſiones, lipothymiæ, ſpaſmi, impetuoſæ ſanguinis eruptiones &c.

Quantopere ira corpori noceat, per vulgus notum eſt. Igitur ROLFINCCIUS iram Megæram infernalem vocavit in *Conſiliis Med.* Præter allegatos in paragrapho morbos plures alios in Medicorum ſcriptis invenies expoſitos, & conferri hic meretur CAMERARIUS *in Memorabil. Med. Centur. 10.* ubi multa hujus rei documenta conſpicies. Quam noxia imprimis ſexui ſequiori ira ſit, dum graves efficiat hæmorrhagias uteri abortumque cauſſetur, toto fere die probatur: de quo *vid. A. N. C. de an. 1683. Decur. 2. Obſerv. 172.* De *ira ſuppreſſa* ſingulariter ſcribit FRANCISCUS BACO DE VERULAMIO

in

in histor. vit. & mort. pag. 111. ira, inquit, *compressa est etiam vexationis genus & spiritum corporis succos carpere facit. At sibi permissa & foras prodiens juvat tanquam medicamenta illa, quæ robustum inducunt calorem.*

§. V.

Quamvis autem infensas corpori mutationes ira suborta provenire §. antec. ostendat: est tamen cur valdopere mireris, *quod omnes ita sint comparatæ, ut non solum cum finibus animæ conspirent exactissime* (id quod & de reliquis affectibus animi dictum volumus conf. B. STAHLII *Programma Anomalias motuum vitalium patheticas, non esse tumultuarias*,) *verum etiam multos eosque graves & inveteratos morbos felicissime aliquando solverint.* Quid enim convenientius ab homine posset suscipi? qui jam apud se constituit hostem suum aggredi, illatasque sibi injurias vindicare, quam ut se in hunc collocet statum, quo & lædentem reapse queat opprimere. Idem jam in iracundo, cui desiderium vindictæ inest, inque iis quæ tum sub hoc pathemate in corpore suboriuntur mutationibus observare licet. Vehemens illa humorum ad partes externas appulsio nil aliud sane secum fert, quam ut membra corporis roborentur, hostique opprimendo quasi præparentur & accommodentur; quare membris iracundorum summum inesse robur constat (*a*). Ast id prorsus singulare est, quod iræ affectu morbi sint profligati, qui alias omnem vim medicamentorum eludere solent: de quo multa in scriptis Medicorum leguntur testimonia (*b*).

(a) conf. B. STAHLII *disp. de passionibus animi corpus varie alterantibus.* Egregie hac de re eloquitur B. FRID. HOFFMANNUS, & post fata illustris in *Med. rat. system. tom. 1. pag. 89. validissimo*, inquit, *tunc robore* (scilicet sub iracundiæ affectu) *& potentia homines pollent.* In eandem materiam confer. *Celeb.* JUNCKERI *Hygieine Tab. de Pathem. animi pag. 521.*

(b) HORSTIUS *Lib. 3. consil. epist. 12.* de triennali quodam paralytico narrat, quod ob hostis sui præsentiam ira correptus e lecto repente se elevaverit, hostemque suum sit aggressus. Neque minus præclaram nobis exhibent observationem *Acta Hafn. volum. 1. observ. 81.* de muto quodam, qui ab ira loquendi usum recuperaverat. Quodsi plura ejusdem rei documenta velis intueri: adeas *Illust.* ALBERTI *Viri summæ eruditionis Dissert. de Medico Effectu Affectuum animi pag. 28.* & *Hygiene cap. de Regimine Pathematum animi.* Conferri quoque potest B. FRID. HOFFMANNI *Med. rat. System. tom. 2. ubi de affectibus animi agitur.*

§. VI.

Ad affectum *terroris* progredimur, *quo præsente, mira quoque in corpore luditur scena.* Ingens enim illa, quæ cum terrore stipata est, perturbatio œconomiæ vitalis, multorum morborum generationi inserviisse, variæ Medicorum observationes docent. Imo solennis quasi hæc est in praxi medica observatio, quod in subjectis ad hæmorrhagias naturales proclivibus, terrore autem perculsis, gravia oriantur damna, dum vel hæmorrhoides fluentes intercipiuntur, vel sanguis evacuandus ad alia periculosiora loca propellitur, unde sontici sane morbi gignuntur. Ut nil de sexu sequiori dicam, cujus fluxus menstruus obfirmatam quasi suppressionem, magnorum

mor-

morborum productricem consequitur. Noxius præcipue gravidis existit terror, quem sæpe contumaces hæmorrhagiæ uteri & abortus solent excipere.

De variis, qui terrori adscribuntur morbis, multa loquuntur Annales Medicorum. Ob hanc rem *A. N. C.* pluries evolvi possunt, ex quibus hic quædam tantum loca allegare lubet. Sic *Decur. 3. an. 9. & 10. observ. 56. Schweizzeri* cujusdam mentionem factam esse invenies, qui in infantia sua in gravissimam incidit epilepsiam, perterritus a Ruperto illo larvato, dem Knecht Rupert: quo malo usque ad annum ætatis suæ 36. atrocissime vexatus, tandem obiit. Quæ observatio alio ibidem confirmatur exemplo. Admodum quoque memorabilis ille casus est, quem hæc eadem *A. N. C. Decur. 2. an. 3. observ. 91.* nobis exhibent, ubi de puella quadam narratur, quæ hominem ad supplicium datum, cujus cervix ensi erat subjicienda, spectatum iverat, terrore autem ex tanto aspectu percussa, epilepsia corripiebatur. Hanc miseram alia conspiciebat puella; exindeque perterrita eodem malo humum prosternebatur. Docent etiam *A. N. C. Decur. 2. an. 6. observ. 27.* Tremorem artuum quotidianum ex terrore fuisse subnatum. Quod quoque terror mortem sæpius acceleraverit: id multis & Medici & Historici probant exemplis. Sic RHODIVS *Centur. 1. Observ. 45.* annotavit, milites quosdam tyrones ex solo signo ad prælium dato fuisse exanimatos. In eandem materiam vid. etiam RIEDLINVS *in Lin. Med. an. 98. Mens. Majo.* Pestis tempore, multos solo pestis terrore perire, res est inter Medicos nota, id jam probe observantibus GABELCHAVERO *Centur. 5. Curat. 87.* & THOMA BARTHOLINO *Centur. 4. Histor. 76.* Quæ vero potius angori, metuique moriendi adscribenda essent. Jam patet, quid terror valeat? potest hic quoque conferri ALBERTI *Hygieine c. 5.* JVNCKERI *Hygieine Tab. de Pathem. animi pag. 526.* Quanta autem ex terrore in corpus præcipue fluxioni-

xionibus ſanguineis obnoxium transmigrent damna: ea graviter enarravit B. FR. HOFFMANNVS *Med. rat. Syſt. Tom. 2. ubi de affect. animi agit.* Merentur maxime hoc loco conferri ALBERTI *Diſſertationes de Hæmorrhoidibus ſuppreſſis*, item *de Anomaliis Hæmorrhoidum & Menſium.*

§. VII.

Recenſuimus §. antec. ingentia quædam mala, quæ *terrorem* conſequuntur: *jam ſalutares quasdam mutationes, quæ eidem pathemati interdum adjunguntur,* expendere, haud incongruum erit. Cujus rei teſtem, omni exceptione majorem, producimus experientiam, a qua nimirum accepimus, multos pertinaces morbos, qui ne optimis quidem remediis obtemperare volebant, ſolo autem terrore ſuborto, fugatos fuiſſe.

Paralyticum quendam per complures annos hoc malo affectum, terrore incendii a paralyſi ſua fuiſſe liberatum obſervavit VALLERIOLA *Lib. 2. Obſerv. 4.* Quæ dum ſcribo, juvenis cujusdam paralytici cogitatio me ſubit, qui in ædibus *Junckerianis* commoratur, utpote qui ad ſervitia militaria ductus (cui tamen litteræ erant in deliciis) pedum paralyſi corripiebatur, cum jam ſibi amictum illum militarem Stieffelletten apponi videret. In hoc afflicto ſuo ſtatu cum corporis movendi cauſſa curru ſe vehi curaret: accidit, ut, curru paululum ad latera inclinato, paralyticus terrorem lapſus conciperet. Fugæ itaque intentus ad ſe ſalvandum ex curru ſubito proſiliit, & ſpatium ad paſſus tres cito emenſus eſt; cui tamen ante nulla inerat potentia pedes movendi. Idem jam, imo multo majus quid alio tempore ipſi contigit: ægro nempe diris comminationibus, quod ſe quamprimum ad legionem ſiſteret, iterum commoto, validiſſime ipſum comprehendebant convulſiones, ut partes paralyticæ fortiſſimis motibus ſint vexatæ.

De

De arthritide terrore ſanata præclara proſtant documenta ex variis autoribus recenſita in ALBERTI laudata *Diſſert. de Medico effectu affectuum animi pag 34.* *Confer.* quoque B. FR. HOFFMANNI *Med. rat. Syſt. l. c.* PAVLLINI *Cent. 3. obſ. 62. Cent. 4. obſerv. 90.* SCHVRIG. *gynæcol p. 36.* FRITSCH *Caſ. forenſ. P. 3 p. 168.* Neque tacitus hic præterire poſſum jucundum illud fatum, quod podagrico cuidem Gedanenſi, tempore, quo hæc urbs celebris a Ruſſis obſidione cingeretur, contigit. Erat quidem in hanc urbem Mars ſatis acerbus (quod neminem fugere poteſt) benignior autem erga hunc miſerum, qui ob dolores podagricos lecto affixus tenebatur: quippe cujus tecta ex pyrobolis injectis flammas, animus autem conceperat terrorem, quo factum, ut jam omnibus abjectis doloribus, firmitateque membrorum ita ſubito recuperata, in pedes ſe protinus conferre poſſit & ad loca ſecura aufugere. Cui vix efficacior parari poterat medicina, quam quæ a Marte erant confectæ pilulæ martiales. Confer. etiam DIEMERBROECK *in Opp. Anat lib. VIII. p. 745. Idem in Opp. Med. Pract. in Obſerv. & Curat. med. p. 578-580. Obſerv. X. & Annot.*

§. VIII.

Eſſet hic quoque locus multis aliis affectuum generibus explanandis, utpote uberius commonſtrare poſſemus, quantæ v. g. inter nimiam *triſtitiam*, effuſiusque *gaudium* in corpore comparere ſoleant mutationes; neque alienum eſſet a finibus noſtris paulo amplius exponere ſtupendos illos effectus, qui vigente perverſa gravidarum *imaginatione* procreantur: niſi nobis verendum eſſet, quin B. L. præter neceſſitatem remoremur; maxime cum alia nobis adhuc reſtent explicanda, quæ ad intelligentiam argumenti noſtri ſunt neceſſaria, ideoque tractationi præ-

mittenda. Hoc jam ex antecedentibus loco aphorismi teneri poteſt, *quod ſummus ſit mutationum in corpore cum perceptionibus in anima conſenſus, isque etiam in affectibus conſtanter conſervetur, ita ut qualis fuerit affectus vel ſimplex, vel mixtus, vel gravis, vel levis: talis etiam in corpore appareat mutatio.*

Quid triſtitia in corpus noſtrum valeat, in vulgus notum eſt. DIEMERBROECK *Opp. Med. Pract. de Peſte Libr 1. Cap. 8. Annot. 9. & Lib. 2. Cap. 7. Annot. 8. 9. & 10. A. N. C. Dec. 1. An. 3. obſ. 234.* ZAC. LVS. *M. P. H. L. 2. hiſt. 114. p. 385.* RIEDLINVS *Lin. Med. An. 3. Sept. obſ. 22. p. 634.* Quanta quoque deſideriorum vis ſit, vel ex una noſtalgia ſatis dilucide cognoſci poterit. Res quoque notiſſima eſt, quid phantaſia in gravidis poſſit, de quibus omnibus *confer.* B. FR. HOFFMANNVS *Tom. 2. Med rat. Syſt. p. 167. & ſeqq.* nec non ALBERTI *Diſſert.* ſæpius jam cit. *de Medico effectu affectuum animi.* EIVSDEMQVE *Epiſtola* doctrinæ & eruditionis plena ad Illuſt. SCHROECKIVM directa *de admirandis animæ præcipue humanæ effectibus.* Ex qua non poſſum non caſum illum ſumma admiratione dignum allegare, quem hujus Epiſtolæ Illuſt. AVCTOR de Matrona quadam generoſa protulit, quæ cohortem anatum magno cum ſtrepitu & clamore roſtris inter ſe colludentium ſumma cum voluptate e feneſtra aſpiciebat, hujusque petulantiæ anatinæ grato ſenſu adeo perfundebatur, ut poſt trium menſium decurſum fruſtum quoddam carnoſum, novem roſtris anatinis præditum excluſerit, quæ continuatim movebantur, & modo aperiebantur, modo claudebantur. En ſtupendum a phantaſia phænomenon! Sed & plura alia, certe non vulgaris obſervationis in hac eadem Epiſtola reperies. Pertinet huc quoque admirandum illud exemplum, quod ex MALEBRANCHIO obſervavit Illuſtr. WOLFIVS in den vernünfftigen Gedancken von den Würckungen der Natur § 448. Memorabile quoque exemplum gravidæ cujusdam fœminæ enarravit *Celebr.* JVNCKERVS

in

in Collegio Pract. quæ quidem feliciter enixa est partum, semper tamen conqueri solebat de onere in utero adhuc residuo. His querelis duodecim circiter annos consumsit, ubi tandem mortua est, ante obitum rogans maritum suum, ut a viris honestis secaretur, quo constaret, quidnam oneris utero insit. Facta jam per sectionem inquisitione, concrementum quoddam testaceum se visui obtulit, cujus instituta intimiori prosecutione, tandem ostrea perfecte efformata in conspectum prodiit. Accedebat defunctæ maritus, indicabatque defunctam ante duodecim circiter annos in statu graviditatis suæ ostreas vehementer appetiisse, quæ tum vero ob temporis rationem nulla impensa poterant comparari.

§. IX.

Si quis ad eas, quæ in hoc universo contingunt, mutationes probe attenderit, ille facili negotio intelliget, nihil naturaliter oriri, quod non suas caussas antecedentes habeat, in quibus ratio existentiæ contineatur. Dicuntur autem ea *connexa*, quorum unum continet rationem alterius, cur alterum vel simul existat, vel posterius sequatur prius. Constat autem, *res omnes in universo esse connexas.* Cui hæc non satis perspicua esse videntur: ille insignem quem ætas nostra tulit Philosophum adeat *Illustrem Fridericianæ Vice-Cancellarium* WOLFIUM, *ejusque Cosmologiam* evolvat.

Pertinet huc *Sect. 1. Cosmol. lat.* *hujus incomparabilis Philosophi: ubi de rerum nexu copiose est commentatus.* Cujus rei veritas adeo clara est & evidens, ut neminem facile futurum esse existimem, qui hac de re dubius esse possit. Nam vel mediocri tantum adhibita attentione ad ea, quæ in hac amplissima rerum universitate fiunt; hæc rerum connexio cuicunque sit conspicua. e. g. ingruente vere solis calore effici-

tur, ut e radicibus arborum ſuccus adſcendere incipiat, ſuccus ita adſcendens in ſurcos ſeſe effundat, effuſus in ſurcos arborem ad gemmandum cogat, & ſ. p. Continet hic quævis mutatio antecedens rationem conſequentis, diciturque ejusmodi nexus, *nexus quoad tempus;* ad differentiam *nexus quoad ſpatium*, utpote in quo ad rationem tantum reſpicimus, cur unum ſimul exiſtat cum altero, e. g. ſol & terra ſimul exiſtunt: hujus coexiſtentiæ jam ratio eſſe debet. De quibus omnibus vid. Illuſtr. WOLFIUS l. c. Quæ, cur hic explicata ſint, ex ſeqq. patebit.

§. X.

Ex attenta eorum conſideratione, quæ §. §. IV-VIII. ſunt expoſita, manifeſte deprehendi poteſt, animam inter & corpus ſummam intercedere harmoniam: ita, ut qualis animæ fuerit perceptio vel appetitio, talis quoque in corpore fiat mutatio, quæ eſt perceptioni vel appetitioni mentis conveniens; & vice verſa, qualis fuerit in corpore mutatio, talis quoque in anima oriatur perceptio & appetitio, quæ factæ in corpore mutationi reſpondet. Quæ convenientia, cum in omni ſyſtemate explicandi commercium animæ & corporis, fundamenti inſtar ponatur: hinc perinde nobis hoc loco quidem eſſe poſſet, cuinam ex tribus, quæ exſtant, ſyſtematibus nos adſciſceremus. Verum enim vero cum *Syſtema Influxus Phyſici veritati propius accedere videatur, neque tot ipſi inſint difficultates, quot reliquis ſyſtematibus: quibus itaque Syſtema Influxus Phyſici anteferre non dubitamus.* Perpendas modo velim, quam incongruum ſapientiæ divinæ ſit Syſtema Cauſſarum Occaſionalium, utpote in quo immediata Dei T. O. M. actio ſuppo-

ſupponitur, qua pro occaſione volitionum mentis ad earundem præſentiam motus in corpore efficiantur, & ad præſentiam, atque occaſione motuum in corpore factorum perceptiones animæ producantur. Inde neceſſe eſt, ut in hoc ſyſtemate continua fiant miracula. Quod cum Divinæ ſapientiæ adverſetur: neque vero ſimile eſt Syſtema Cauſſarum Occaſionalium. A quo nævo licet Syſtema Harmoniæ Præſtabilitæ liberum ſit, ſummamque Dei ſapientiam mirum in modum extollat, ſupponendo nimirum, quod ſeries perceptionum atque appetitionum in anima, & ſeries motuum in corpore per naturam animæ & corporis harmonicæ ſint, ſeu conſentiant, ex Sapientiſſimi Conditoris præordinatione & prædeterminatione: non deſunt tamen multæ aliæ, quibus hoc ingenioſiſſimum ſyſtema premitur, difficultates. Si enim ad nexum quoad tempus præcipue reſpexeris, cujus §pho anteced. facta eſt mentio, & qui in hoc ſyſtemate clarius eſſet conſpiciendus: ille tamen nullatenus perſpicitur, ſiquidem neutiquam comprehendi poteſt, quo fiat, ut v. g. hilarem dolorifica excipiat repræſentatio, voluptatem ſequatur triſtitia & ſ. p. Mechanismus denique corporis talis ægre concipi poterit, qualem hoc ſyſtema eſſe contendit, ut nullo prorſus modo intelligi queat, ſi iterum nexus quoad tempus ratio quædam habeatur, unde v. g. fiat ut relaxationem toni in homine ſomnolento antecedentem ſequatur conſequens ejus intenſio, terrore, vel alio pathemate tantum ſuborto; ut pulſum antecedentem æqualem & moderatum,

tanquam consequens sequatur inæqualis & minime moderatus, & s. p. quorsum quoque pertinent §. §. IV-VIII. Ejusmodi difficultatibus autem cum *Systema Influxus Physici non sit obnoxium; imo brevissimum sistat modum & maxime naturalem explicandi commercium animæ & corporis; nec non Sapientiæ Divinæ admodum conveniat, quippe quæ viam semper eligit brevissimam, nec per ambages agit, ubi compendia sunt præsto: non possumus igitur non Systemati Influxus Physici nostrum præbere assensum.*

Systema Caussarum Occasionalium quantopere sapientiæ Divinæ repugnet, dum perpetua in eo admitti debent miracula: vel ex ipsa hujus systematis inspectione cuicunque clarum esse poterit. Id quod inter plures alios omnium maxime demonstrarunt Illustrr. WOLFIVS & BILFINGERVS: *Ille in Psych. rat. Sect. 3. Cap. 3; Hic autem in Comment. hypothet. de Harm. Præst. Sect. 4. ubi de Systemate Adsistentiæ fusius agunt.* Hinc non mirum, quod jam pauci nostro tempore inveniantur, qui huic systemati adstipulentur. Neque igitur nos CARTESIVS diutius retardet. Ast longe excellentiorem sapientiæ & potentiæ Divinæ conceptum nobis suppeditat Systema H. P. Quod quidem satis ingenuum, tantoque sui inventore, Illust. LEIBNITIO dignum est: ideo tamen non vacuum omni difficultate. Cujus rei quædam in paragrapho commemorata sunt: plura recenset *Celeb.* BAYLE *in Dictionario Critico Artic. Rorarius:* qui suspicari videtur, potentiam divinam in hoc systemate minus adæquate extendi. Certum est quod mechanismus corporis, quem Systema H. P. postulat, plane sit incomprehensibilis. *vid. Illust.* WOLFII *Psych. rat.* §. 637. Imo si ad seriem mutationum quæ in corpore contingunt probe attendas, ut in paragrapho indicatum, vix tanti mechanismi existentia sibi concipi poterit. Respectu autem mentis, non leves hæ sunt difficultates, quas paragraphus exhibet. Aliam magni momenti

ti rationem quam huic systemati non assentientes allegant, hic quoque indicare lubet, cur Systema H. P. difficulter concipi queat. Sapientissimus nimirum hujus universi Architectus mundum, qui spectatur, præter sufficientem rationem condidisse videretur, admisso Systemate H. P. Namlicet mundus adspectabilis non existeret: mentes tamen easdem habituræ essent repræsentationes, ac si ille existeret. Potuisset itaque Deus T. O. M. finem suum, quem in condendo hoc mundo habuit, sine productione mundi pariter obtinere; si finis sit mundi producti, præcipiente Theolog. Natur. ut Deus gloriam suam manifestaret, id est, res creatæ intelligentes ex contemplatione hujus universi Majestatem Creatoris cognoscerent, eundemque amore & veneratione prosequerentur. Quod si itaque mundus existit, quod nemo inficias iverit, nisi qui castra Idealistarum sequitur: præter rationem existere videtur. Ex ejusmodi autem tricis facile se emergere quisque poterit, qui Systema Infl. Phys. amplectitur, utpote planum, reique ipsi accommodatissimum. Exulent modo Scholasticorum ineptiæ, quibus huic Systemati spissiores tantum offunduntur tenebræ. Nam neque nos talem nobis concipimus Influxum Physicum, ubi ideæ in motus transeant, & motus mutentur in ideas; hæc erant Scholasticorum somnia, quibus huic Systemati immeritum contraxerunt contemptum. Sed cum vi hujus Systematis anima & corpus in se mutuo agere supponantur: talis hic constitui debet, & potest, modus, qui utriusque naturæ optime convenit. Cujus rei explanandæ locus ad §. sequ. patebit. Nobis adductæ rationes in paragrapho sufficiant, cur Influxus Physicus ceteris Systematibus anteferendus sit. Nam uti is architectus parum sapiens dicendus esset, qui v. g per machinas summa arte perfectas vellet ad usum communem aquas derivare, quas ducere posset per canalem quandam simplicem: ita Deus sapientiæ suæ parum convenienter egisse videretur, si tanta in corpore efformasset artificia, quanta

requi-

requiruntur ad eas mutationes præſtandas, quæ corpus ex ſe ipſo eo ordine producere poſſet, ut repræſentationibus & appetitionibus animæ ſemper reſponderent; cum hunc finem breviori via aſſequi poſſit conceſſa nimirum potentia animæ agendi in corpus. Idem de ſerie perceptionum mentis ante jam determinatarum (quod ex Syſt. H. P. poſtulatur) dicendum foret, quarum evolutio ex antecedentibus intellectu difficilis eſt: quod autem in Syſt. Infl. Phyſ. facillimo breviſſimoque cognoſci poteſt modo, quatenus ſcilicet anima ad hoc potius, quam aliud percipiendum & repræſentandum per corpus determinetur. Quibus rebus ſic comparatis infinitæ ſapientiæ Conditoris jam quid magis eſſe poteſt tam congruum? quid quoque tam breve & naturale? quam Syſtema Infl. Phyſ. Ex quo etiam *nexus quoad tempus* negotio perquam facili deprehendi poterit, ita nempe, uti ex cauſſa ejusque effectu colligi ſolet.

§. XI.

Quæ in §pho anteced. exſtant rationes ad confirmandum Syſtema Infl. Phyſ. eæ non deſtituuntur ſua evidentia. Cui autem allegatæ rationes non ſufficere videantur: ille eos adeat Auctores, qui de hac materia fuſius & ex inſtituto ſcripſerunt, *mentisque humanæ actionem in corpus & corporis in animam ex primis ſanæ rationis principiis derivarunt*, *neque ſolum Syſtematis Infl. Phyſ. poſſibilitatem*, *verum etiam ejusdem exiſtentiam ex ipſa mentis humanæ natura*, *corporisque noſtri elementis penitius perſpectis evicerunt*, *ſolidiſſimisque argumentis commonſtrarunt.*

Laudandus mihi potiſſimum venit MARTINVS KNVTZEN, *Profeſſor Regiomontanus* & inſigne gentis Pruſſicæ ornamentum. *Cujus Diſſertatio de Commercio animæ & corporis per Influxum Phyſicum* explicando aliorum ſcriptis, qui de eadem

dem materia egerunt, sine dubio palmam praeripit. Perspexit commemoratus Philosophus, quam parum ab experientia Influxus Physicus demonstrari queat, cum a coëxistentia ad caussalitatem non satis tuta sit consequentia. Quare aliam ingressus est viam, ut hoc systema suae redderet perspicuitati. Atque ita primum evicit, quod simplicia, ex quibus quodcunque corpus constat, in se invicem agant realiter, non apparenter. Actionem deinde mentis in simplicia corporis, & simplicium, ex quibus corpora constant, in mentem sufficere ad Influxum Physicum, demonstrat idem Philosophus. Possibilitatem demum Influxus Physici ejusque probabilitatem, nec non varias praerogativas, quibus reliqua Systemata antecellit, evidentissime ostendit. Tandem vero hujus Systematis existentiam solidissime demonstrat. Mentisque facultatem corpus movendi ex vi repraesentativa hujus universi legitimo modo deducit. Ultimo autem loco objectiones, quibus hoc Systema infestari solet, modeste expendit, prorsusque removet. Suas quoque meretur laudes *Celeberr.* GOTTSCHEDIVS, *cujus Dissertatio de Influxu Physico* conferri potest. Quodsi tamen quis fuerit, cui reliqua Systemata magis placeant: is ea, quae jam sequentur, suo Systemati explicet conformiter. Nobis Systema Infl. Phys. tanquam verum arridet; inde animae facultatem agendi in corpus tribuentes, ejusmodi in seqq. utemur terminis, qui huic Systemati conveniunt.

§. XII.

Cum nil sit sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit, & cur potius tale sit, quam non aliud (per Princip. Metaph.): ratio quoque sufficiens adesse debet, cur anima non solum producat mutationes in corpore, verum etiam cur tales potius producat, & non alias. Oriri autem mutationes in anima, quae corpori modo sunt noxiae, modo saluta-

C res

res (§. §. IV - IX.) Sequitur ideo *adesse rationem sufficientem, cur anima modo noxias, modo salutares in corpore producat mutationes.*

§. XIII.

Ad nosmet ipsos attenti comperimus, aliam menti nostræ inesse mutationem, si bonum; aliam si malum aliquod sibi repræsentat. Etenim sub repræsentatione boni, tanquam sibi boni, mentem nostram singulari quodam ac jucundo sensu perfundi, in eaque conatum quendam tale bonum obtinendi, seu inclinationem quandam ad rem sic sibi repræsentatam, quam *adpetitum* vocamus, nasci experimur. E contraria vero parte, quam primum anima malum quoddam, tanquam sibi malum sibi repræsentaverit, oriri in ea conatum quendam malum illud avertendi sive reclinationem a re sic sibi repræsentata, quam *aversationem* dicimus, eadem duce experientia observamus. Ex quibus igitur manifestum est, quod Philosophi recte præcipiant, dari *legem adpetitus*, quæ nil aliud est, quam sequens regula in ipsa mentis humanæ natura satis alte fundata: *quidquid appetimus, appetimus sub ratione boni; quidquid aversamur, aversamur sub ratione mali.*

§. XIV.

Si quis ad ea animum suum paulo curatius direxerit, quæ in morbis sponte fieri solent, eaque omnia rite perpenderit, ille non poterit non intelligere, *fieri in corpore nostro motus, qui ut plurimum ita comparati sunt, ut eorum ope morbi propulsentur (a).* Eadem

fida

fida veritatis magiſtra experientia innotuit, *animam noſtram aliter eſſe affectam ſi in ſtatu naturali ſeu ſanitatis, aliter, ſi in ſtatu præternaturali ſeu morborum ſumus collocati. Ubique autem obſervare licet, ſtatum mentis cum ſtatu corporis examuſſim congruere (b).*

(*a*) Conſideres modo febres potiſſimum malignas, ſtupendum illud naturæ ſpectaculum: hic ſingulares obſervabis motus, qui ad materiam illam malignam prius præparandam, ſecernendam deinde, & poſtremo excernendam tendunt atque collineant. Pone tibi porro ob oculos hominem a malo hypochondriaco infeſtatum, videbisque ipſum modo ſuſpirantem, modo tuſſientem. Jam quid quæſo illa ſuſpiria, quid tuſſes denotant? nonne exinde congrui ad morbum ſequuntur motus? dum abdomen inter ſuſpirandum, tuſſiendumque commovetur, concutitur, quo fit, ut impeditus ille per vaſa abdominalia ſanguinis circulus eo expeditior evadat. Quæ nemo, niſi ignarus eorum, quæ in morbis fiunt, negabit.

(*b*) Maniaci, quorum ſanguis ſpiſſus & circa venam portæ in curſu ſuo valde detinetur, vel ipſi hunc ſuum incarceratum ſanguinem de carcere & captura multum loquentes indicant. Cui ſtatui corporis repræſentationes animæ perfecte reſpondent, & vice verſa. Quid enim horum hominum profunda, atque ex imo pectore evolantia ſuſpiria? quid eorum deſideria in campum excurrendi? quid reliqua quæ ſuſcipiunt ad ſui liberationem conamina? ubi nempe ſibi circumſtantes vel fuſtibus aggrediuntur, vel alia ratione in eosdem invehuntur. Quibus omnibus id aliquando obtinetur, ut ſic accelerato ſanguinis circulo ejus ſpiſſitudo attenuetur, obſtructiones reſerentur, & viſcera in priſtinum ſuum ſtatum redigantur.

§. XV.

Cum in morbis ſponte fiant motus, qui ad ſa-

nandum corpus ægrum tendunt; & ſtatus mentis cum ſtatu corporis ſemper conveniat (§. antec.): nemo non intelligit, hoſce motus propter ſanitatem corpori reſtituendam fieri. Quod cum ita ſit: *qui in corpore morbis etiam ſubjecto fiunt motus, ſunt motus finales.*

Dudum jam hancce veritatem cognovit venerandus Medicorum Parens HIPPOCRATES, cujus de hac re effata multis quidem conſtant, a paucis tamen rite perpenduntur, quod ſcilicet natura ſit morborum medicatrix, a nemine docta, tamen faciat quæ conveniunt; ſibi ipſi vias ſeligat, & ſibi ſufficiat, &c. Simile quid in brutis accidere obſervatum eſt, unde variorum remediorum uſus in medicina originem ſuam ſcribit. Sic v. g. clyſterum applicationem ab ibide ave, & venæſectionem ab hippopotamo primum didiciſſe Ægyptios, hiſtoriarum monumenta docent, teſtantibus ARISTOTELE, PLVTARCHO, PLINIO, CICERONE, JVL. SOLINO, PANSA, vid. CASP. REJES. *Camp. Elyſ. juc. qu. 3. n. 6.* CAMERARIVS *Memorab. Cent. 1. partic. 5. 6. Cent. 5. partic. 74.* Celeberr. SCHVLTZIVS *Comp. Hiſtor. Med.* §.§. *24.* & *29.* En quid in brutis etiam natura poſſit! cujus operandi ordo ſapiens in morbis hominum multo magis eſt conſpicuus. Pertinent huc exempla in nota §. antec. allegata; plura meditationi L. B. relinquimus. Sed poſſet quis hoc loco nobis objicere, quod haud raro dentur morbi, ubi motus vel ſupra modum excedunt, vel deficiunt, indeque funeſtus exitus conſequatur. Id neque nos negamus infra explicaturi, unde ejusmodi inſalubres morborum decurſus ſint derivandi. Unius poſitio non eſt alterius ſublatio. Manet itaque §pho præſ. ſuus valor, quod in multis morbis adſint motus finales, ſanando corpori valentes, quorum licet interdum fiat ataxia, ut finis, ſanitas ſcilicet, obtineri nequeat. vid. ALBERTI *diſſ. de Natura Morborum medicatrice, de Morborum*

Salu-

Salubritate. WEGER. *de Morbis Salutaribus.* HOFFMANNI *dispp. de Febb. & Hæmorrhoidib. salutaribus.*

§. XVI.

Fieri in morbis motus finales, statumque mentis cum statu corporis ex toto convenire per §. §. XIV. & XV. constat. Sed anima agit in corpus generatim (§. X.): *quin eadem quoque in corpus agat morbis implicitum, producendo nimirum hosce motus finales, dubitari nequit.*

Ad hanc rem illustrandam multum juvabit commemorare, quantopere corpus nostrum obtemperare debeat consuetudini. Qui certæ se adstrinxit horæ in cibis capiendis, ille famem percipit, salivam copiose fundit, hora præsente, cibis licet absentibus; quorum præsentium alias particulæ exhalantes generi nervoso stimulum quendam addere possent, ut appetat stomachus, fluat saliva. Nonne potius ex exemplo allegato videri potest, fieri in corpore motus ad certum finem destinatos? nonne inde intelligitur, quod eorum ratio ex notione consuetudinis, animæ, non corpori competente derivari debeat? Re penitius expensa, veritas est in propatulo. Consuetudo enim agendi dicitur habitus ex determinatione præterita acquisitus. Quæ determinatio cum vim motivorum in se involvat: nemo consuetudinem agendi corpori tribuere poterit, nisi eidem memoriam motivorum præteritorum simul competere contenderit; quod vero a ratione prorsus alienum est. Plura alia ad motus exquisitis finibus respondentes, in morbis obvios spectantia hoc loco possemus enarrare: nisi ea sufficerent quæ ad §. præced. notavimus, quos Medicus prudens utique in praxi attente respicere debet. Confer. ALBERTI *disp. de motib Naturæ Cynosura Medici.* STAHL. *de Cynosura Therapiæ*, JUNCKERI *Diss. in qua motus in morbis ut cynosura therapeutica commendantur.* Cavesis autem, ne, dum anima inmorbis motus finales

producere asseritur, nos ideo negare existimes, quod ad horum motuum productionem singulari corporis mechanismo non sit opus. Agit quidem anima in corpus, sed structuræ corporis convenienter, hoc est, dum in morbis motus finales producit, eas corporis partes eligit, per quas intentam mutationem perficere potest. Et sic docente Anatomia, omnes partes corporis nostri ita esse formatas constat, ut earum quælibet aptissimi cujusdam instrumenti vicem sustinere possit, ad actionem certam præstandam. Competit autem animæ facultas dirigendi ejusmodi actiones per partium structuram possibiles, ut hoc, & non alio, eveniant ordine. Atque hac ratione motuum finalium evolutio facilis omnino est, qui ex Systemate medicinæ mechanicæ, utut nunc comparato, neutiquam explicari poterunt. Quodsi vero Medicus ex familia mechanicorum ortus, facta caussa communi cum Harmonistis, concederet, fieri in morbis motus finales, ex mechanismo corporis repræsentationibus animæ convenienter sese evolventes; licet eorundem evolutio ex incomprehensibili corporis mechanismo explicatu sit difficillima: sibi, ægris, & suo systemati melius consuleret, quid? quod in morbis curandis cum Stahliano quoque posset conciliari. Atque sic indicata ratione Stahlianus, Harmonista, & Mechanicus concordem jam repræsentent triumviratum! ideo non nisi malevoli & invidiosi prioribus contemptum & neglectum causarum mechanicarum impudenter imputant. Neminem præterea torqueat dubium, quod jam ex perlecta §. X, maxime autem præsenti, cuidam forte subnasci posset: quam parum scilicet anima in corpus agere, in eoque motus finales producere dici queat, quæ tamen sibi tantarum actionum, quantæ sunt vitales, non sit conscia. Infra enim, ubi commodior patebit locus, de industria pluribus evincemus, quam vile hoc sit dubium, quamque debile, ad adimendam animæ in corpus agendi facultatem.

§. XVII.

Cum in morbis eo tendant motus, ut corpus ægrum collocetur in ſtatum ſanum (§. XIV.); adeoque ſint finales (§. XV.); nec non ab anima ſuſcipiantur (§. antec.): ſequitur, *animam corporis integritatem ſeu ſanitatem tanquam ſibi bonum repræſentare.* Oritur autem ex repræſentatione boni appetitus (§. XIII.): hinc *anima corporis integritatem ſeu ſanitatem appetit.*

§. XVIII.

Cum anima ſtatum ſanitatis ſibi tanquam bonum repræſentet & appetat (§. antec.): ſequitur *eandem ſtatum corporis ſtatui ſanitatis oppoſitum tanquam malum aliquod ſibi repræſentare.* Naſcitur vero ex repræſentatione mali averſatio, ſeu conatus tale malum avertendi (§. XIII.): neceſſum igitur eſt, *ut anima ad avertendum ſtatum corporis ſtatui ſanitatis oppoſitum pariter ſit intenta.*

§. XIX.

Cum in morbis ad ſanandum corpus ſponte tendant motus (§. XIV.), iique finales ſint (§. XV.), & ab anima ſuſcipiantur (§. XVI.): nemo non videt fieri hos motus finales propter ſanitatem corporis. *Eſt* itaque *ſanitas corpori læſo reſtituenda motuum finalium ab anima ſuſceptorum finis.*

§. XX.

Cum motuum finalium ab anima ſuſceptorum finis ſit ſanitas corpori læſo reſtituenda (§. antec.): ex motibus finalibus intelligi poteſt, cur ſanitatis recuperatio in corpore ægro obtineatur. Dicimus

autem

autem medium esse illud, quod in se rationem continet, cur finis actum consequatur: patet inde *motus finales esse medium sanitatis corpori læso restituendæ.*

Ex hac propositione jam constare poterit, quomodo morbus considerari debeat, utpote in quo naturalis simul adest therapia. Eandem veritatem in dies singulos confirmat experientia. Non insolita itaque sunt, quæ hic proferuntur, sed cuivis medico in morbis attento plane obvia. Neque novitatem redolet hoc dogma, quod jam HIPPOCRATEM sui parentem agnoscit, cujus de hac re effata quædam §pho XV. subjuncta penitius meditanda commendamus. Quo utiliorem autem hanc de spontanea morborum curatione doctrinam esse quis perspexerit: eo majorem ille simul intelliget laudem sibi promeruisse B. STAHLIVM, qui hanc magni usus in medicina veritatem Hippocraticam in omnium animis fere extinctam nativo suo nitori iterum restituit, eandemque magnifice illustravit. In quam rem præter hujus incomparabilis medici *Theor. med.* confer. *etiam ejusdem Dissert. de Autocratia Naturæ*, & *de Medicina sine Medico.* De eadem materia consulendus quoque est ALBERTI, quem haud immerito alterum STAHLIVM & redivivum salutare licet, *in Therap. gen. Sect. I. Cap. I. de spontanea morborum curatione*; & in *Tract. de Energia Naturæ*, nec non *Disputatt. de Therapiæ morborum spontaneæ observationis necessitate & utilitate in medicina; de Natura morborum medicatrice; de Medico in nobis;* item *Propemptico* Inaugurali *de vero sensu medico naturæ incorporeæ Hippocratico* & multis aliis Scriptis.

§. XXI.

Ex quibus omnibus manifestum est, quod, cum anima sanitatem corporis tanquam finem velit, ea simul media, quibus hic finis impetretur, velle debeat.

Com-

Commode ergo ille Philoſophorum canon hic applicari poteſt: *qui vult finem, velit ille etiam media.*

Nihil officiunt propoſitioni noſtræ morbi male decurrentes. Datur enim interdum amethodia naturæ, quam peculiari Diſp. ALBERTI *An. 1709.* cognitam reddidit. Ad quam rem fuſius explicandam aptior infra erit occaſio.

§. XXII.

Ex iis, quæ paulo antecеſſerant, §. §. XVII. & XVIII. clarum eſt, legem appetitus & averſationis §pho XIII. expoſitam ſatis convenienter poſſe applicari ad actiones, quæ a medicis *vitales* dicuntur. Jam quin eodem jure præter hanc averſandi appetendique facultatem animæ, *aliæ ejusdem facultates, ut ſentiendi, imaginandi, reminiſcendi circa easdem actiones vitales ſuum quoque obtineant locum*, nulla prorſus cogitari poteſt ratio.

§. XXIII.

Id quod veritati eo magis conſentaneum eſſe poteſt: ſi ea imprimis recentiorum philoſophorum principia pſychologica, quæ ad rem præſentem multum faciunt, in animum tibi revocaveris. Conſtat autem ex ſcientia pſychologica, quod anima ens ſimplex ſit; ideoque unam tantummodo vim habeat, a qua omnes mentis noſtræ producuntur actiones, licet videantur & ſint diverſiſſimæ. Sic v. g. ab hac unica animæ vi omnes ejus facultates ſentiendi, imaginandi, ratiocinandi, &c. proficiſcuntur. Quæ omnes & ſingulæ non niſi variæ ſunt potentiæ, quibus hæc unica vis animæ noſtræ ſeſe exſerere poteſt. Validiſſimis autem confirmarunt argumentis iidem

philoſophi recentiores hanc unicam vim nullam aliam eſſe, quam *vim repræſentativam univerſi*, vel ut diſtinctius exponatur, *eam vim mentis noſtræ, qua univerſum ſibi repræſentat per ſitus corporis & organorum ſenſoriorum rationem.*

Eorum omnium, quæ §phus in ſe continet, demonſtrationes nobis ſuppeditat *Illuſtr.* WOLFIVS *in Pſych. ration. Sect. I. Cap. I. de natura & eſſentia animæ.*

§. XXIV.

Hæc unica animæ vis, cujus §pho ant. fecimus mentionem, *in actionibus ſuis producendis certis adſtricta eſt legibus.* Id quod in pſychologicis fuſius explicatur; neque minus ex §. XIII. ſatis perſpicue intelligi poteſt, quam legem in appetendo & averſando mens noſtra ſequatur. Jam quæ animæ noſtræ in ſentiendo indeque pendentibus actionibus ratio ſit: hic, quantum ad rem noſtram facit, exponendum eſſe arbitramur.

§. XXV.

Eorum, quæ in hoc univerſo ſunt, vel fiunt, perceptiones haud ſecus in mente noſtra oriri obſervamus, ac *quatenus objecta quædam externa mutationes quasdam corpori noſtro ejusque organis ſenſoriis inferunt.* Sic v. g. tormento quodam bellico exploſo, aër inde commotus aures noſtras afficit, quo deinde fit, ut fragorem percipiamus. Vel ſi papillulas nerveas in lingua ſaccharum, vel aliam corporis noſtri partem aculeus aggreditur: ibi ſaporem; hic dolorem percipimus.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ex §. ant. patet, quid per *facultatem ſentiendi* intelligendum veniat: quippe quæ in potentia conſiſtit percipiendi objecta externa, quæ mutationem corpori noſtro ejusque organis ſenſoriis inferunt, convenienter mutationi in organo tali excitatæ.

§. XXVII.

Hinc jam conſequitur: *ſenſus & ſenſationes ad animam pertinere*, non quatenus quid mutationem quandam in organis noſtris ſenſoriis efficiat, ſed quatenus idem percipiamus. Quare ſi curatius loqui velis, ita loqui debes: non auris, ſed anima audit; non lingua, ſed anima ſapit.

§. XXVIII.

Impediri ſenſationem noſtram experientia edocemur, ſi quando vel organum ſenſorium ab objecto ſenſibili avertimus; vel impedimentum aliquod adeſt, quo minus actio objecti ſenſibilis in organum ſenſorium exſeri poſſit. Sic oculis clauſis aut lumine, quo res in obſcuro illuſtrantur, remoto, res ejusmodi externas non poſſumus viſu percipere.

§. XXIX.

Quæ §. §phis XXV - XXVII. explicata ſunt, ea jam nobis anſam ſubminiſtrant, *ad legem ſenſationis* exponendam, quæ ad ſequentem regulam revocatur: *mutationibus quibusdam in organo ſenſorio ab objecto ſenſibili productis, exoritur in mente talis ſenſatio, quæ rationem ſufficientem quare ſit, & quare talis ſit, & non alia, in mutatione organi ſenſorii continet.*

§. XXX.

Aſt anima non ſolum tum percipit, cum in organis ſenſoriis mutatio quædam contingit objectis externis præſentibus: verum etiam perceptiones antea ſenſu perceptas iterum producere poteſt, quamvis objecta ſint abſentia. Ita Halæ nunc ſum, dum hæc ſcribo, in loco ſane a Regio Pruſſorum monte remotiſſimo. Sed fui ante Regiomonti, ſenſuque tum temporis percepi, quam ampla, quam amœna ſit, quemque a natura impetraverit ſitum hæc urbs celebratiſſima, & ſ. p. Quæ omnia quidem antea vidi, ea autem Halæ, dum me nunc commoror, non video; nihilo tamen minus, quæ tum temporis Regiomonti vidi, Halæ quoque mihi formare poſſum ideam, licet ea mihi nunc non ſint præſentia. Quod cum a nobis fiat: rem quandam *imaginari* dicimur.

§. XXXI.

Ex §. ant. perquam facile cognoſci poteſt, quænam nimirum de imaginatione ſeu phantaſia formari debeat notio. Eſt ſcilicet *imaginatio* ſeu *phantaſia* facultas animæ reproducendi perceptiones rerum, quas ſenſu antea percepimus. Solet autem idea ab imaginatione producta *phantasma* vocari.

§. XXXII.

Cum in imaginatione nobis perceptiones eorum tantummodo exhibeantur, quæ ante ſenſu comprehendimus (§. ant.): patet exinde, *quantum imaginatio connexa ſit cum ſenſatione* §o XXVI. exhibita.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Ordinis nunc ratio poſtulat, ut *imaginationis legem* explicemus, quæ a philoſophis ad ſequentem regulam reducitur: *quæ ſemel percepimus, atque unius rei perceptæ perceptio iterum in nobis producatur, imaginatio producit perceptionem rei alterius perceptæ, ſeu perceptionem totalem ab imaginatione reproduci, vel in nobis toties enaſci experimur, quoties illius partem aliquam vel imaginationi vel ſenſui præſentem cognoſcimus.* e. g. ſi militem intuearis, & idea exercitus, quem alio tempore in campum deductum fuiſſe vidiſti, in te excitetur; id ab imaginationis lege pendet.

§. XXXIV.

Singularis quoque eſt ea potentia, qua animam ideas reproductas agnoſcendi vel potius recognoſcendi exornatam eſſe conſtat. e. g. pone te orationem CICERONIS pro Archia Poëta legiſſe. Jam ſi Oratorem quendam in conſpectu multorum hominum orationem ſuam recitantem audiveris, qui dicendi initium ita fecit: ſi quid in me ingenii eſt &c. Nonne tu hanc in te reproductam ideam agnoſces? nonne igitur CICERONIS dicendi rationem eſſe putabis? hæc, ſi a nobis præſtantur: nos *memoria* pollere judicamur. Erit itaque facultas animæ noſtræ ideas reproductas recognoſcendi id, quod *memoriam* vocamus.

§. XXXV.

In memoria ideas ſolum recognoſcimus, quæ in nobis excitantur (§. ant.). Quum vero ejusmodi idearum excitatio ſeu reproductio imaginationi

ſit tribuenda: hinc, *quanta memoriæ connexio cum imaginatione ſit*, perſpicuum eſt.

§. XXXVI.

Haud raro autem contingit, ut anima noſtra mediate reproducat ideam, & ideam reproductam recognoſcat; productis nempe aliis ideis, quibus quaſi adjuvantibus ideam reproducit, reproductamque recognoſcit. e.g. rei quondam vel auditæ, vel viſæ ideam mens noſtra non reproducit, niſi antea circumſtantiæ quædam, quæ tum temporis ideæ perceptæ erant annexæ, animum ſubierint: quo fit, ut mediantibus his ideis idea ante percepta reproducatur, reproductaque recognoſcatur. Quo in caſu rei cujusdam *reminiſci* dicimur.

§. XXXVII.

Jam quid *reminiſcentia* ſit, ex §. ant. facile colligitur. Facultas enim, qua mens noſtra pollet, perceptiones mediate, ſeu mediantibus aliis ideis reproducendi, reproductasque recognoſcendi, *reminiſcentiam* conſtituit.

§. XXXVIII.

Tria igitur ſunt, quæ ad reminiſcentiam requiruntur:

1. *reproductio perceptionum mediantium.*
2. *reproductio perceptionum ope perceptionum mediantium facta.*
3. tandem *recognitio perceptionum indicato modo reproductarum.*

Quæ omnia ex ipſa reminiſcentiæ definitione in §. ant. exhibita clara ſunt.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Cum ad reminiſcentiam perceptionum reproductarum recognitio requiratur (§. ant. num. 3): evidens eſt, quantus *memoriam inter & reminiſcentiam intercedat nexus;* ita, ut non immerito reminiſcentiam memoriæ ſpeciem dixeris. (§. XXXIV.)

§. XL.

Cum vero & perceptionum, vel idearum reproductio ad reminiſcentiam ſit neceſſaria (§. XXXVIII. num. 1. & 2.); ejusmodi autem perceptiones, vel ideæ phantasmata ſint (§. XXXI.): ergo inde elucеſcit, quam *arctum ſit reminiſcentiæ & imaginationis vinculum.*

§. XLI.

Sine productione perceptionum vel idearum reminiſcentia cogitari nequit (§. XXXVIII. num. 1. & 2.) Sed per facultatem ſentiendi producuntur perceptiones vel ideæ (§. XXVI.), quibus mediantibus anima perceptiones etiam ante perceptas, vel repræſentationem rei ante perceptæ reproducere poteſt, & tum demum reproductam etiam recognoſcere. Manifeſte ergo deprehendi poteſt, quantum *ad reminiſcentiam ſenſus quoque faciant.*

§. XLII.

Non dubito fore quosdam, qui nobis illud Caſſianum, cui bono? objiciant, exiſtimentque, ea, quæ hactenus ſunt prolata, magis ad philoſophiam quam medicinam pertinere, & philoſopho quidem ſcitu neceſſaria eſſe, medicum vero parum juvare. At cave! ne præceps ſis in judicando. Nam uti in omni-

omnibus disciplinis, sic in medicina præcipue summa est philosophiæ utilitas. Philosophus ex certis asserta sua deducit principiis, neque est vanis speculationibus temerariisque figmentis contentus. Manifestæ igitur rerum abditarum rationes in lucem protrahi possunt philosophia auxiliatrice. Quibus sic comparatis non est, cur timeamus esse futurum, ut ille insignis medicorum antistes HIPPOCRATES nobis ita præclare de philosophia sentientibus succenseat; utpote quem a medicina philosophiam tanquam rem inutilem sejunxisse loquuntur historiarum documenta. (a) Licet vicissim *Lib. de decenti ornatu §. V. text. 1.* φιλόσοφον ἰσόθεον nominet medicum. Valet illud quidem HIPPOCRATIS judicium philosophiam ex medicina ut avenam sterilem evellentis, de philosophis sui temporis ventiloquis, qui ex meris suppositis & figmentis disputare solebant, &, quæ inde extorquebant, ad hominem temerarie applicare. Talis certe philosophia nil facit ad augendam medicinam: id quod egregie perspexit acutissimus HIPPOCRATES, ideoque omni jure contendit, ut in medicina rationes petamus ex ipso homine. Cujus jam grave summaque laude dignum consilium secuturi, quæ hucusque dicta sunt, ad usus medicos conjungemus, L. B. vero rationem intelliget, quare tantam nobis fecerit remoram veritatum quarundam psychologicarum contemplatio.

(a) Confer. Excell. SCHVLTZII *Histor. medic. p 122.*

§. XLIII.

Ex anatomicis & physiologicis est cognitum,

cer-

certis usibus certas quoque partes corporis nostri esse dicatas, atque ita efformatas, ut vel maxime congrua esse queant instrumenta ad eos effectus præstandos, quorum caussa sic sunt exasciata. Inter tot tamque diversas corporis nostri partes, quarum quælibet suo peculiari usu gaudet, illæ sunt vel maximum admirandæ, quarum nempe ministerio sensatio in nobis perficitur, & quæ *nervorum* nomine satis sunt celebres.

§. XLIV.

Respectu usus, quem nervi in genere præstant, sensationis nimirum functioni in nobis ministrando: *homo unico tantum instructus est organo sensorio.*

Usus, quem nervis hic assignamus, non tollit alium eorundem usum, quod quoque sint instrumenta motus; utpote qui ad sensationem etiam est necessarius. Idea enim sensualis alio modo non oritur, nisi etiam oriatur idea materialis; hæc autem cum in motu ad cerebrum propagato consistat, qui nervis tanquam organo sensorio imprimitur, motum ad sensationem omnino requiri palam est. Cum tamen sensatio ad animam pertineat, quatenus mutationes in organo sensorio factæ percipiuntur (§. 27.): hinc constat motum in nervis excitatum atque ad cerebrum propagatum non absoluere solam sensationem. Qua autem ratione iste motus in nervis perficiatur, ad quem concitandum num liquido nerveo opus sit? anne vero veritati magis respondeat, hujus motus rationem a justa tensione nervorum derivare? hoc loco quæritur. Ad priorem sententiam quod attinet, cujus vi liquidum nerveum ad motum propagandum requiritur: ea sane, ut notum est, non levibus premitur difficultatibus. Quibus sententia eorum non ita valde est obnoxia, qui motum a justa tensione nervorum deducunt.

Utriusque ſententiæ potiora momenta exhibuit Excell. KVLMVS *in Tabb. anatom. p. 76-78.* Iuſtam vero nervorum tenſionem ſufficere ad motum per univerſum corpus celerrime propagandum, ſolide demonſtrauit *Excell.* MELTZERVS *Regiomontanorum Medicus & Profeſſor præclarus in propemtico* quodam *Inaugurali*: idque ex natura corporis tenſi & continui, quam fluidi & laxe cohærentis magis ſequi, oſtendit. Non tamen ideo negatur liquidem nerveum, utut ad nervorum nutritionem & humectationem neceſſarium. ALBERTI *Phyſiol. c. I. §. 130. p. 22.*

§. XLV.

Nullam, perhibent anatomici, corporis humani partem eſſe tam exiguam, quam non permigrent nervi; qui itaque *ubivis in corpore noſtro* adeſſe repeperiuntur.

§. XLVI.

Ergo nec *extrinſecus* ſolum, verum etiam *intrinſecus* corpori noſtro ineſt organum ſenſorium.

§. XLVII.

Qui igitur ea, quæ modo §. §is ant. propoſuimus attente conſideraverit, ille non poterit non intelligere, fieri poſſe, ut *anima eas quoque percipiat mutationes, quæ circa actiones vitales verſantur, & quæ ad ſtatum corporis noſtri intrinſecus conſideratum referuntur;* vel quod idem eſt: *animæ noſtræ tribui poſſe, imo debere ſenſum vitalem.* Etenim ex §§. XLIII. & XLIV. videri poteſt, nervos eſſe inſtrumenta ſenſationis, eosdemque univerſale organum ſenſorium in homine conſtituere: ita ut ſublato ejusmodi organo ſenſorio, ne ſenſationem quidem contingere poſſe, manifeſtum ſit. Sed nervi per univerſam corporis noſtri molem

ſunt

ſunt diſperſi, atque ita non in partibus ſolum externis, ſed etiam internis deliteſcunt (§. XLV.): exiſtit ergo organon ſenſorium in corpore noſtro non tantum extrinſecus, ſed & intrinſecus (§. ant.). Facile hinc fieri poterit, ut mutationes quædam huic organo ſenſorio, quod corpori noſtro etiam intus ineſt, inferantur. Sed factis in organo ſenſorio mutationibus, oriuntur in mente noſtra perceptiones (§. XXV.); atque ideo menti noſtræ competit facultas ſentiendi (§. 26.). Sed quatenus tales in hoc organo ſenſorio mutationes factæ ad ſtatum corporis noſtri internum referuntur, quippe quæ circa actiones vitales verſantur: eatenus quoque & perceptiones inde in anima noſtra ſubortæ tanquam perceptiones vitales erunt conſiderandæ. Ex quo jam conſequitur: animæ noſtræ tribui poſſe & debere facultatem ſentiendi vitalem; vel menti noſtræ competere ſenſum vitalem.

Egregie illuſtrat §phum præſ. *Illuſtr.* ALBERTI *Diſſertatio de Senſu Vitali:* quæ hic cum fructu legi poteſt.

§. XLVIII.

Non eſt, cur mireris L. B., quod in re tanti momenti argumento utamur ab analogia petito, ex tua forſitan ſententia ad probandum inepto. Valde erras, ſi ita nempe judicas. Dudum cognoverunt mathematici & philoſophi, quantam argumentum ab analogia depromtum vim habeat ad convincendum, ut nulli dubitarent eodem uti ad res, quæ multum ponderis habent, demonſtrandas.

Ita notum eſt, quod hoc argumentum in aſtronomia magni habeatur, ubi v. g. a convenientia rerum quarundam in lu na obſervatarum, cum iis, quæ in terra noſtra reperiuntur, ad convenientiam reliquarum concluditur, lunamque terræ noſtræ ſimilem eſſe evincitur. Exinde vero Teleologus, qui finem mundi creati penitius conſiderat, ulterius progreditur, ad majorem adhuc lunæ & reliquorum planetarum convenientiam cum terra noſtra confirmandam. Neque minus philoſophis in uſu eſt hocce argumentum, quo errorem illum CARTESII, quod bruta ſint meræ machinæ, prorſus concutiunt; dum a præſentia organorum ſenſoriorum in brutis, quæ iis æque bene ac homines gaudent, concludunt ad exiſtentiam animæ in brutis. Inde animas brutorum ſentire, eſſe immateriales & indiviſibiles porro infertur; id vel ipſo *ſubtili* SCOTO concedente, qui omnes animas viventium indiviſibiles eſſe ſtatuebat, quas modo in animalibus perfectis, ut equis, leonibus, &c. S. THOMAS indiviſibiles eſſe voluit: prout annotatum eſt a FRANCISCO de PITIGIANIS ARRETINO *in Annott.* ad SCOTI *expoſitiones in VIII. libros Phyſicorum* ARISTOTELIS pag. 59. id quod in tranſitu quaſi adnotaſſe libuit. Quam rem amplius & diſſertius tractavit ALBERTI peculiari *tr. de anima brutorum.*

§. XLIX.

Quare jam multum rationis adeſt, cur etiam *animæ imaginatio*, *memoria*, *& reminiſcentia circa actiones vitales tribui queant.* Id quod vero ſimillimum eſt, ſi ea omnia bene recorderis, quæ ſupra ſunt commonſtrata, quantopere ſcilicet a facultate ſentiendi facultas imaginandi, & ab hac memoria & reminiſcentia dependeant. Cuncta ex §. §. XXXII, XXXV, & XXXIX. ſatis ſunt evidentia.

Con-

Confer. ALBERTI *doctissima Differt.* de *Sensuum internorum usu in œconomia vitali.*

§. L.

Varias quis fortassis existimabit adesse rationes, ob quas, quæ duobus §. §. præced. de anima circa actiones vitales occupata confirmantur, in dubium vocari possint, si eæ nempe considerentur difficultates, quæ circa modum specialem, hunc sensum vitalem, & quæ inde pendent, cognoscendi, sese objiciunt; ac quod eorum omnium, uti alias fieri potest, distinctam vel etiam claram nobis comparare nequeamus intelligentiam. Neque minus id singulare cuidam esse videri posset, dignumque, ut plane nullam nobis fidem adhibeat, de anima ita actionibus vitalibus implicita sentientibus; quia earum anima nostra, quamvis continuo in nobis contingant, sibi prorsus non sit conscia, ideoque tantarum actionum caussa & productrix dici nequeat. Ad utrumque tantum respondebimus, quantum instituti nostri secum fert ratio.

§. LI.

Primum aggredior dubium, quod ideo fingi posset, si eas nempe respexeris difficultates, quibus cognitio nostra de modo speciali, quo ejusmodi sensus vitalis, & quæ cum ipso sunt connexa, ad actum pertingant, est obstructa: & quæ a nobis non satis distincte neque clare possint intelligi; ob quam rationem neque in veritatum numerum recipienda. Quod ut clarius percipiatur dubium, citiusque cognosca-

tur, quid falſi in ipſo lateat, ad formam ſyllogiſticam ita reducimus: *Quæcunque a nobis diſtincte vel etiam clare concipi non poſſunt: ea a veritate ſunt aliena.* Atqui *ſenſus vitalis & quæ cum ipſo ſunt connexa, eorumque omnium ſpecialis, quo ad actum perducuntur, modus, a nobis diſtincte vel etiam clare concipi non poſſunt.* Ergo *ſenſus vitalis & quæ cum ipſo ſunt connexa, eorumque omnium ſpecialis, quo ad actum perducuntur modus a veritate ſunt aliena.* Verum enim vero, quis eſt qui non intelligat facile, quanto major propoſitio ſyllogismi prolati errore ſcateat? quam nemo univerſalem eſſe concedet. Perpendas modo quæſo, quot, quantæque in hoc univerſo ſint & fiant res, quarum ne claram quidem, multo minus diſtinctam notionem nobis formare licet: quæ tamen ideo in dubium vocare velle abſonum foret. Modum, quo entia ſimplicia ex nihilo produci queant; quo magnes attrahat ferrum &c. plane ignoramus; ideo tamen negari nequit. Non ea eſt intellectus finiti ratio, unde ejusmodi quid depromi poſſit, quo immenſam regni veritatum amplitudinem poſſimus permetiri. Qui tale quid ſibi ſumſerit, haud abſimilis illi videretur, qui Herculis cothurnos infanti aptare vellet. Atque ſic negata majori propoſitione falſa eſt argumenti concluſio.

Conf. ALBERTI *Phyſiol. c. 1. §. 145. ſq. p. 24.* & *Celeb.* DETHARDING de *intellectu inſito.*

§. LII.

Majorem veritatis ſpeciem ſecundum præ ſe ferre videtur argumentum; ubi inſtituta quadam muta-

mutationum contemplatione, quas in nobis nosmetipsi observamus, & quarum animam nostram sibi esse consciam deprehendimus: indeque recte concludi posse judicamus, animam earum tantum actionum esse caussam, quarum sibi modo est conscia; aliarum autem non ita, quorsum jam omnes actiones vitales spectarent. Sed ne hoc quidem argumentum a vitiis est liberum, quæ ut eo luculentius conspiciantur: syllogismus, qui inde resultat exhibendus erit. *Quarumcunque actionum anima nostra sibi non est conscia, eas quoque nec producit, seu earum non est caussa.* Sed *actionum vitalium anima nostra sibi non est conscia.* Ergo *anima nostra actiones vitales non producit, seu earum non est caussa.* Ast quis hic iterum majorem propositionem universalem esse contendet, utpote quæ a veritate valdopere descifcit. Notum enim est ex psychologicis, continuas in mente nostra produci actiones, ob vim quæ ipsi inest repræsentativam universi in §o XXIII. allegatam. Sed esne tibi conscius earum, quas mens producit, actionum, dum dormis? & ubi nulla contingunt somnia? Et sic fracto majoris robore totum claudicat argumentum.

Conf. ALBERTI *obs. de anima sibi ignota.*

§. LIII.

Angustiis feliciter superatis, quibus iter nostrum præclusum fuisse videbatur, viaque sic patefacta, ad intimiorem animæ nostræ contemplationem jam penetrare licebit. Atque ita cum mentis nostræ possibilitatem, imo realitatem versandi circa actiones vitales jam supra generatim commonstraverimus

mus (§.§. XLVII. & XLIX.): igitur noſtrum eſſe judicamus adhuc paulo confirmatius evincere, quantopere animæ humanæ facultas ſpeciatim reminiscendi in actionibus vitalibus ſit tribuenda. Si quæ vero offendicula ſe nobis objecerint, quibus meditationum noſtrarum curſus retardari poſſet: ea omnia paſſim removere allaborabimus. Quare ut ea, quam paulo mox de reminiſcentia vitali ſuppeditabimus, definitio veritati magis conſona eſſe videatur: eo curatius erunt attendenda, quæ jam ſequuntur.

§. LIV.

Fœmina quædam fragore cæli jactibusque fulminis perterrita exclamabat: ah! IESV; neque ita evidens ex inflicto terrore concipiebat damnum. Longe acerbius autem ſæviebat terror in infantem, quem hæc eadem fœmina gremio ſuo continebat, utpote qui a tanto cæli murmure fulmineque præcipiti terrefactus atrociſſima corripiebatur epilepſia. Altiores egit hæc calamitas in hoc miſello radices: qui, quoties nomen IESV, quod ante a matre terrore percuſſa enunciatum percipiebat, denuo autem repetitum exaudiret, toties recurrebat epilepſia, qua miſellus mirifice excruciabatur.

Hunc plane admirandum caſum communicationi *Celeberr.* IVNCKERI, *Viri fide digniſſimi* debeo: quippe qui hunc infantem ſuæ curæ oblatum feliciter ſanavit.

§. LV.

Nemo non ex § ant. videt, perceptionem nominis IESV, quod exclamarat mater infantis perterri-

territa, ab infante perceptam ipſi exſtitiſſe medium, quo etiam aliæ perceptiones, terroris ſcilicet, indeque ortorum motuum epilepticorum perceptæ, iterum produci potuerint. Atque ſic mediate reliquæ ideæ perceptæ, eædemque corpuſculi afflictiones in hoc infante denuo ſunt procreatæ.

§. LVI.

Miles quidam, fidei jurisjurandi religione confirmatæ immemor, legionem ſuam deſeruit. Qui dum in fuga ſua eo jam ſe perveniſſe arbitrabatur, ut, qui eſſent ablegati ad perſequendum fugientem, non poſſent magis excipere. In cauponam igitur, tanquam locum ſibi ſatis ſecurum ſe contulerat, ſibique cereviſiam offerri juſſerat; ad corpus forte ex tam gravi itinere defatigatum reficiendum. Verum cum jam in eo eſſet occupatus, ut vas potorium ori admoveret: hypocauſtum irruebat hoſpes, nuncians, ſe milites ad cauponam recta advolantes conſpexiſſe, qui perfugam forſan deprehenderent. Quod cum vix exaudiviſſet miles perfuga: vaſe potorio repente ſepoſito fugæ ſe velociter dedit, ut ad locum ſecuriorem pertingeret. Aliam hinc ingreſſus eſt cauponam, ſibique, ut ante, offerendum curavit potum; quo impetrato ad bibendum ſe componens, vasque potorium ori adducens epilepſia correptus humum procidebat: qui poſtea, quotiescunque vas potorium, ut biberet ori admovere conabatur, totiescunque epilepſia ipſum aggrediebatur.

Quæ ad § LIV. ſunt notata: ea hic quoque locum poſtulant.

§. LVII.

Iterum ex §. ant. conſtat, perceptionem vaſis potorii ad os admovendi a milite perceptam ipſi medium fuiſſe, quo & perceptio terroris in ipſo denuo producebatur. Quid vero terror valeat, quantumque ſufficiat ad epilepſiam producendam, ex §. VI, eique ſubjuncta *nota* pluribus videri poteſt. Quod autem epilepſia ſeſe non tunc ſtatim in milite perterrito exſeruerit, cum nempe ipſi nunciaverat hoſpes, ſe milites vidiſſe recta ad cauponam advolantes, qui perfugam exciperent (§. ant.): id perceptioni ſimul perceptæ de fuga, ſalutis libertatisque impetrandæ ergo, ſuſcipienda, tribuendum eſſe judico.

§. LVIII.

Mercatoris uxor valde plethorica, venæ ſecandæ in brachio adſueta, cum angore in memoriam revocans, brevi ante jam præterlapſum fuiſſe repetendæ venæ ſectioni dicatum tempus: proxima nocte in brachio eximiam venæ olim inciſæ ardentem & rubentem intumeſcentiam experta fuit.

Studioſus Theologiæ hypochondriacus moleſta & angente palpitatione cordis afflictus, quoties alios palpitationem cordis nominare audivit, toties ſubito hoc affectu correptus fuit.

Plures infra allegabimus caſus, ubi de uſu propoſitionis, quam titulus diſſertationis refert, dicendum erit. Quos caſus præſens §phus refert: ii ex ampliſſima *Illuſtr.* ALBERTI penu proficiſcuntur. Quod præterea ex caſibus ſupra in §. §. LIV. & LVI. deductum eſt (id quod ex §. §. LV. & LVII. relegi poterit): idem quoque ex §pho præs. facta convenienti applicatione, conſequitur. Confer. nunc modo commemora-

morati ALBERTI *Observ. de usu & abusu mechanismi in corporibus animatis*, observationibus Halensibus addita: nec non *Ejusdem Opusc. medico-philos. p. 425.*

§. LIX.

Quæ §.§phis LIV-LVIII. enarrata sunt, ea jam manu quasi nos ducunt ad clarius intelligendum, quid vitalis sit reminiscentia: cujus planam notionem hoc loco exhibere præcipiendi ratio exposcit. Est autem *reminiscentia vitalis* animæ nostræ facultas, mediate seu mediantibus aliis perceptionibus perceptiones jam ante perceptas, connexasque cum iisdem in corpore mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, iterum producendi, easque tales cognoscendi, quales jam ante in nobis fuerunt.

Ad reminiscentiam generatim consideratam reproductionem mediatam perceptionum perceptarum, earundemque recognitionem requiri ex §. XXXVIII. constat. A qua reminiscentia in quo differat reminiscentia vitalis, ex hujus definitione in §. præs. suppeditata haud difficulter colligi poterit. In reminiscentia nempe generatim spectata ad mediatam perceptionum perceptarum reproductionem & recognitionem tantum attendimus: in reminiscentia autem vitali mutationes simul respicimus, actionibus vitalibus intermixtas, quatenus eædem simul producuntur in corpore, cui jam ante inerant, denuo productis perceptionibus jam ante perceptis.

§. LX.

Ne quis nos de entibus cerebrinis definitiones condere reputet: necessum erit, ut etiam *reminiscentiæ vitalis existentiam* aperte evincamus, seu *dari reminiscentiam vitalem* ostendamus. Id quod ex ante-

 ceden-

cedentibus ita colligitur. Mediate productis perceptionibus producuntur simul eædem in corpore mutationes, quæ cum perceptionibus perceptis antea erant connexæ (§. §. LV. & LVII.). Nemo autem negabit, fieri posse, ut istiusmodi mutationes in corpore productæ sese actionibus vitalibus intermisceant. Productis vero iisdem in corpore mutationibus, quæ jam corpori antea inerant, easdem simul in mente produci perceptiones nemo non intelliget, qui consideraverit, quantum statui corporis accurate respondeat status animæ (§. §. X. & XIV.) Quæ perceptiones in anima productæ cum similes sint perceptionibus ante jam perceptis: necesse igitur est, ut easdem quoque anima tanquam jam ante perceptas cognoscat. Sed quatenus mens nostra mediate perceptiones, cum iisque connexas in corpore mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, denuo producere & cognoscere potest: eatenus menti nostræ competit facultas, tale quid præstandi. Est vero facultas perceptiones perceptas cum iisque connexas in corpore mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, mediate reproducendi, easque tales, quales jam antea in nobis fuere, cognoscendi, reminiscentia vitalis (§. ant.): de cujus ergo existentia, qui amplius dubitet, spero neminem esse futurum.

E re omnino esse videbatur notionis de reminiscentia vitali in §. ant. expressæ veritatem seorsim adhuc probare, sicque principium aliquod certum constituere, ex quo alia, quæ deinde sequentur, eo commodius derivari possint. Ut

autem

autem legitimum §phi præs. ſenſum habeat L. B. quædam adhuc hoc loco monenda erunt. Quid maxime inter reminiſcentiam generatim conſideratam & reminiſcentiam vitalem interſit: ex nota §pho ant. annexa videri poteſt. Jam quid differentiæ porro intercedat inter reminiſcentiam ſenſu generali ſumtam, & reminiſcentiam vitalem, ſi diverſum nempe gradum cognitionis perceptionum reproductarum reſpexeris: enucleatius hic erit tradendum. Dari cognitionis gradus ab indole idearum pendentes, vel illi intelligunt, qui Logicam & Pſychologiam primis modo labris deguſtarunt. Pro diverſitate itaque claritatis perceptionum, earundem quoque diverſa fit cognitio, quæ in reminiſcentia recurrit. Hinc etiam memoria, cujus ſpeciem eſſe reminiscentiam §. XXXIX. docet, in pſychologicis dividitur in ſenſitivam & intellectualem: de qua re confer. *Illuſtr.* WOLFII *Pſychol. rat.* §. 279. Quamvis autem mentis lumen non tam conſpicuum ſit in reminiſcentia vitali, ut ſibi etiam conſcia ſit reproductarum perceptionum: earum tamen iterata cognitio animæ neutiquam denegari poterit; id quod ex demonſtratione §phi pateſcit. Conſiſtit omnis cognitio in acquiſitis ideis: pro quarum diverſa claritate vel obſcuritate, cognitio quoque noſtra clara vel obſcura naſcitur. Infinitam eſſe conſtat appetituum & perceptionum multitudinem, quarum anima ſibi non eſt conſcia, quæ tamen ipſi revera inſunt. Confer: ſi lubet, §. LII. Neque anima perceptiones ſuas citius adpercipit, quam poſt earundem evolutionem, hoc eſt, quando ideæ obſcuræ ad claritatem quandam pertingunt. Confer: *Illuſtr.* BILFINGERI *Comment. hypothet. de Harm. Præſtab.* §.§. XCIV. & XCV. Sed quales jam animæ erunt ideæ de actionibus vitalibus? quæ cognitio? Fatemur quidem non tanta ideas animæ circa actiones vitales occupatæ fulgere claritate, quanta iis perceptionibus ineſt, quarum anima ſibi eſt conſcia. Sed unde hæc caligo, qua anima noſtra obfuſa eſt actionibus vitali-

bus implicita? Multas animæ depravationes ex tristi lapsu derivant Theologi; quidni ex eadem ratione multos quoque defectus in animam ad actiones vitales relatam redundasse dici possit? *Confer. Celeb.* IVNCKERI *Physiol. Tab. 5. p. 130.* Nemo præterea negabit, multas esse actiones vitales simul & semper in corpore existentes: hinc neque concipiendum est, quod easdem anima adpercipiat. Hæc impræsentiarum sufficiant; plura infra adferam, ubi dubia quædam expendam, quæ reminiscentiæ vitali objici possent, ex quorum resolutione major quoque lux modo dictis affundetur. Ex quibus omnibus L. B. facile colligere poterit, quænam animæ tribuenda sit cognitio, cum in reminiscentia vitali perceptiones iterum productas cognoscere dicatur. Quod tamen interdum ideæ de statu vitalitatis in anima ex obscuritate ad claritatem quandam sese emergant; videri potest ex *Illustr.* ALBERTI *Medic. Theol. Tract. de Vaticiniis ægrotorum.*

§. LXI.

Pari etiam evidentia cognosci poterit, *fieri non solum posse*, sed & *revera sæpe fieri, ut reminiscentia vitalis existat causa morborum.* In reminiscentia vitali mediante perceptione reliquæ perceptiones perceptæ, cum iisque connexæ in corpore mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, producuntur (§. LIX.) Facile autem fieri potest, ut, quæ in corpore una cum perceptionibus denuo producuntur mutationes, sint tales, quales esse solent in statu hominis præternaturali. Quæ cum vero rationem in se contineant, cur status hominis sit præternaturalis, seu cur morbus oriatur: clarum ideo est, reminiscentiam vitalem fieri posse morborum causam. Sed docuit experientia, mediate productis

ductis perceptionibus reliquas perceptiones, cum iisque connexas mutationes in corpore, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, fuisse productas, quibus corpus gravissime affligebatur, ut sunt epilepsia (§.§. LIV. & LVI.); palpitatio cordis, tumor (§. LVIII.): in reminiscentia vitali ergo sita est tantorum malorum ratio. Quum itaque reminiscentia vitalis rationem in se contineat, cur mala commemorata in corpore procreentur: reminiscentiam igitur vitalem morborum causam sæpe revera existere, quis est qui non intelligat?

En reminiscentiam vitalem causam morborum, non possibilem modo, sed & revera actualem! Eximius est præsentis propositionis usus, ad multa phœnomena pathologica rite intelligenda, quorum conveniens explicatio nonnisi ex reminiscentia vitali, ut causa morborum, decerpi poterit. Exemplo sint morbi ad demonstrationem propositionis in §pho ex antecedentibus allegati, quibus adhuc sequentes addo. Exstat singularis quædam observatio in JVNCKERI *Patholog. Tab. XV. de morbis animi* ex Collectaneis Uratislav: depromta, in qua viri cujusdam rabie denuo correpti fit mentio, dum modo lapidem præteriret, juxta quem canis rabidus ipsum ante annum momorderat. Quis exinde non videt, lapidem conspectum huic viro exstitisse medium, quo perceptiones perceptæ, cumque iis ante annum connexus corporis status, iterum producebantur; atque ita rabies de novo redire scivit. Pertinet huc quoque illa notatu dignissima observatio, quam citatus *Auctor Therapiæ general. Tab. I.* inseruit, ubi duæ illustrissimæ sorores, lugentes mortem fratrum suorum, vomitum toties concepisse recensentur, quoties modo nænias illas audiverint cantatas, quibus exequiæ fratrum suorum erant occentatæ. Id quod eo magis admirandum, siquidem quælibet harum sororum ab illa tan-

tum

tum cantilena ad vomendum commovebatur, quæ ad sepulturam illius fratris erat canta, quem præ altero dilexerat. Quamvis autem in actu ipso exequiarum celebratarum dictæ sorores nullum perpessæ sint vomitum: nil tamen obstat, quo minus ex casu enarrato iterum pateat, quod cantus næniarum repetitus factus sit medium, per quod in commemoratis sororibus perceptiones ex morte fratrum suorum perceptæ, uti fuere insignis tristitia, mœror & luctus, iisque conformes corporis mutationes toties suscitabantur, quoties perceptio medians, repetitio scilicet næniarum sese offerebat. Quod autem inter celebratas solennitates funebres nullus consecutus sit vomitus in his illustrissimis sororibus: id dandum erit aliis perceptionibus tum temporis simul perceptis, quibus vomitus facile impediri poterat; cujus autem vicem singultus sub ingenti ploratu antea sustinuit. Sed quæris, cur quælibet harum sororum ab illa tantum cantilena ad vomendum fuerit commota, quæ illi fratri canebatur, quem præ altero dilexerat? Facilis est hujus rei ratio, quia in unaquaque harum sororum major concipiebatur tristitia ex majori jactura fratris, quem altero magis æstimarat: majori autem affectu excitato, majores in corpore producantur mutationes, necesse est. Dignum quoque est, quod notetur exemplum sequens: Fœmina quædam hic locorum degens ante 10 hebdomadas ex animo ad iram commoto ita obriguit, ut sensuum usu privata humum procideret & quidem die Mercurii hora sexta vespertina. Sed quid inde? multum sane! nam quotiescunque dies Mercurii ejusque hora sexta vespertina recurrit, totiescunque huic fœminæ obrigescentia indicato modo reportatur. A quo malo tamen extra indicatum tempus libera est, licet irascatur. Qui hujus casus enarrationi fidem denegare voluerit, ille hanc fœminam ipse adeat, & examinet, videbitque, quam convenienter veritati hæc sunt consignata. Denuo elucescit ex casu recensito, quantum ejus solidæ resolutioni inserviat propositio §phi præs. quippe

pe cujus ope cognoſcimus, quod hora ſexta veſpertina cujuscunque diei Mercurii facta ſit medium huic fœminæ, per quod perceptiones primum perceptæ, cumque iis connexus corporis ſtatus iterum rediere. Notum quoque eſt exemplum HERNSCHMIDII, Halenſis quondam Profeſſoris Theologiæ, quantopere illum exercuerit Medicorum quorundam inconſiderantia, qui febrim intermittentem quotidianam, qua Vir commemoratus die Mercurii primum corripiebatur, jam inſequente die Solis temere ſuppreſſerant. Inde evenit, ut æger ſe non ſolum male haberet, ſed etiam, quod plane ſingulare eſt, anno accurate præterlapſo, febris diebus ſingulis Mercurii & Solis ſex vicibus iterum rediret. Cui febrium ſpeciei talis febris, quæ modo diebus Mercurii & Solis regreditur, ſit annumeranda? ex recepta febrium denominatione conſtitui nequit. Sæpe vero fieri ejusmodi reverſiones febrium annuas, variæ medicorum obſervationes docent. Nemo non videt, quam difficile hic iterum ſit, cauſſas materiales aſſignare, ex quibus talis determinatio in corpore adeſſe conjici poſſet, cur poſt annum accurate præterlapſum, hac eadem die, & non alia revertantur febres, quam qua ante annum ægrum infeſtarant. Nonne potius ejusdem temporis reditus hic iterum ſit medium, quo perceptæ ante annum perceptiones, iisque ſtipatus corporis ſtatus denuo producitur? Sed quid multis! cum id ipſum quoque perniones anniverſarii teſtentur, quos etiam in corpore hominis, ad calidam fornacem ſedentis procreari, frequens experientia docet; qui modo ante annum algoris ex præterita hyeme erat patiens. Novo frigori, ut cauſſæ externæ, iterata excluſio pernionum in caſu dato adſcribi non poterit; cum ſedens ad calidam fornacem ſe a frigoris ſævitia optime defendat. Hinc iterum clarum eſt, quod ejusdem temporis reverſio medium fiat, quo duce perceptiones ante annum perceptæ, cumque iis eædem mutationes corporis connexæ in ſcenam denuo prodeant. Hoc tamen adhucdum annotatum eſſe volo, quod ejusmo-

G di

di reversionibus morborum ii plerumque sint obnoxii, quos aliis sensibiliores esse medicus praedicat. Videat autem L. B, quanta, quanta jam sit propositionis in §pho praes. contentae utilitas, in explicandis morborum historiis: ex quibus plura ad eandem rem conferri possent documenta, nisi producta sufficerent ad probandum, quid vitalis reminiscentia valeat in corpus nostrum! Ad usum autem practicum propositionis praesentis quod attinet: ille certe perqam eximius est; uti ex paulo post dicendis pluribus patebit, ubi de curatione morborum a reminiscentia vitali pendentium legitime instituenda agam.

§. LXII.

Varia quis forte arbitrabitur dubia formari posse, ob quae asserta nostra assensu excipi nequeant; si ea imprimis hic revolvantur, quae supra de anima dicta sunt (§. §. XVII. & XVIII.), quod ea nempe statum corporis sanum, tanquam bonum appetat, morbidum autem, tanquam malum aversetur. Quae si ita sunt, sic forsan quis inde concluderet: fieri non potest, ut anima quoque morbos in corpore producat, quos sibi tanquam malum quoddam repraesentat, ideoque aversetur necesse est: unde neque concedendum, quod reminiscentia vitalis saepe sit causa morborum. Cui argumento aliud quis forsan adjungi posse existimaret, reputando scilicet, quod si tanta animae nostrae efficacia sit in corpus, ut sola reminiscentia vitali tot, tantasque ipsi infligat calamitates, tamque mirifice perturbet actiones vitales; quidni etiam haec eadem efficiat? ut si velit mortem corpori inferre, non inferat, neque inferre possit, atque ita actiones vitales prorsus infringat, ad quas

mi-

mirum in modum conturbandas, reminiſcentia vitalis multum valere dicitur. Quod fieri poſſe homines malefici, qui in vincula conjiciuntur, quibusque capitis pœna conſtituitur, perquam vehementer optarent, ad atrocitatem turpitudinemque mortis evitandam. Ad utrumque jam reſpondendum erit.

§. LXIII.

Primi igitur dubii naturam prius inveſtigemus, ubi nimirum ſe quis contra nos ſequentem in modum argumentari poſſe judicet: *Si anima ſanitatem ſeu integritatem corporis appetit: anima reminiſcendo corpus non conjiciet in morbos.* Sed *verum eſt prius* (§. §. XVII. & XVIII.) Ergo *& poſterius. Falſum* itaque *erit, quod reminiſcentia vitalis ſit cauſſa morborum.* Sed reſpondeo, quod appetitiones & averſationes naſcantur ex perceptionibus. Hinc fit, ut, ſi tale quid contigerit, ex quo in mente mali cujusdam repræſentatio tanquam ſibi mali oriretur, tum omnino neceſſe ſit, ut ſecundum legem averſandi in anima eveniat conatus tale malum avertendi. Sed omni repræſentationi in anima ſubortæ ſemper reſpondere debet mutatio in corpore: (§. X.) quæ etiam repræſentationi mali conformis ſit, neceſſe eſt. Poteſt autem talis mutatio eſſe conjuncta cum quadam corporis vexatione: quod cum contigerit, corpus morbo cuidam ſubjectum eſſe judicamus. Jam per reminiſcentiam vitalem, ut cauſam morborum, perceptiones mali præteriti, cum iisque mutationes præteritæ, ut morboſæ, connexæ denuo producuntur; hinc neceſſum eſt, ut morbus quoque redeat. Ex quibus itaque

patet, quam parum consequens argumenti in ejusdem antecedenti contineatur. Quodsi autem quis porro objecerit, cur anima tam inepte agat, ut mali jam præteriti reminiscatur, illudque tanquam præsens reputet, indeque tantos in corpus præter rationem edat cruciatus? Objectio nullius valoris est, si nimirum perpendatur, quantopere mens nostra in agendo patiendoque se ad certas leges componere debeat. Hinc per legem reminiscendi necessarium est, ut mediante producta perceptione & reliquæ producantur perceptiones perceptæ. Quibus cum status corporis semper consentire debeat: inde non mirum, si varii quoque cruciatus in corpore simul redeant. Quod non secus contingit, ac id, quod sæpe fida veritatis præceptix commonstrat experientia, si nempe gravis cujusdam mali tibi jam ante aliquot annos ab homine quodam malevolo illati, nunc iterum recorderis, nova tamen ira adversus tibi inimicum incendaris, novoque furore corripiaris, eædemque in corpore tuo sequantur mutationes, hoste licet, damnoque ab illo tibi incusso absentibus, quæ jam erant corpori tuo infensæ, quum inimicum tuum, & quod ex ipso accipiebas incommodum, sensu perciperes. Ast quare te ipsum non reprehendis? qui ita inepte agis atque insulse, ut si calamitatis modo reminiscaris, quam dudum jam pertulisti, cruciatibus rursum subjicias corpus tuum, sanatumque vulnus ita frivole refrices. Sic etiam res se habet in corpore nostro, si nempe actiones vitales respexeris, quas ita vehementer turbari posse a

remi-

reminiſcentia vitali, antecedentia abundanter confirmant.

Quales animæ repræſentationes ſint circa actiones vitales: ex iis, quæ ad §. LX. notavi intelligendum erit. Quid itaque mirum, ſi anima quoque averſationum & appetituum ſuorum in actionibus vitalibus conſcia eſſe nequeat? licet in iisdem ad legem averſandi & appetendi ſeſe componat. Dantur igitur appetitus & averſationes imperceptibiles. Hinc erravit CARTESIVS, qui eſſentiam & naturam animæ in cogitatione, ſeu conſcientia tum ſui ipſius, tum earum mutationum, quæ in ipſa fiunt, conſtituit: cum potius eſſentia & naturæ animæ ponenda ſit in vi repræſentativa univerſi, limitata per corpus, de quo confer. *Illuſtr.* WOLFII *Pſychol. rat. Sect. I. Cap. I.* Mirum ideo eſt, quod, qui alias motus voluntarios, ſeu quorum nobis conſcii ſumus, in corpore ab anima perfici concedunt, actiones vitales ex hac ratione ab anima produci negent, quia earum mens ſibi non eſt conſcia. Id quod inter plures alios quaſi ex inſtituto feciſſe videtur Hungarus quidam MARTINVS NAGY BOROSNYAI in vaſta ſua *Diſſert. Inaugur. Medic. de potentia & impotentia animæ humanæ in corpus organicum ſibi junctum:* qui inde deductum argumentum tantæ efficaciæ eſſe cenſet, *ut nullo ariete pulſando labefactari poſſit.* Quam parvi præterea momenti hoc argumentum ſit, ubi a defectu adperceptionis mutationis productæ ad mutationem ipſam ab anima non productam concluditur: ex §. LII. videri poterit. In quam rem conferatur quoque ſupra jam laudata *Diſſertatio Celebr.* KNVTZEN *pag. 98 -- 101.* Conſtat porro ex concepta reſponſione ad dubium in §pho prolatum, quam arctus animæ ſit conſenſus cum corpore, ita, ut cuicunque repræſentationi in mente admodum congrua in corpore producatur mutatio: & in vicem verſam. Huic ſummæ conſenſioni animam corpusque intercedenti quodcunque ſyſtema explicandi com-

mercium animæ & corporis, tanquam fundamento certo inniti, supra jam in §pho X. indicavimus. Quod cum ita sit: nil impedit, quo minus etiam actiones vitales in corpore cum repræsentationibus animæ consentiant (quem consensum varia hujus dissertationis loca ostendunt); quamvis quoque quis esset, qui præter Influxus Physici systema aliud arriperet. Hinc etiam ex systemate Harm. Præstab. omnes actiones vitales animæ tribui posse, docet *Illustr.* BILFINGERVS *in Commentat. hypothet. de Harmonia præstabilita Sect. 6.* §. *230.* Cujus verba de hac re egregia sunt & digna, quæ hic recenseantur: *Verba itaque*, inquit, *Leibnitiana hoc dicunt, animæ omnes corporis actiones vitales organicas posse tribui, si respectum saltim illum metaphysicum attendas, qui ad mutuas & harmonicas corporis & animæ determinationes pertineat, quatenus corporis mechanismus, ita, non aliter, a DEO dispositus est, ut animæ suis motibus consentiat.* Hactenus *Illustr.* BILFINGERVS. Cum autem systema Influxus Physici nobis magis placeat, utpote ex quo nexus iste, animam & corpus interveniens, facilius comprehenditur (§. X.): hinc quoque animam realiter esse implicitam actionibus vitalibus contendimus, quatenus illa per statum corporis internum ad agendum in corpus determinatur. Licet vero in morbis fiant motus finales, tendentes ad integritatem corpori læso restituendam, suscepti ab anima corporis sanitatem appetente: tamen cum certum sit, quod appetitiones & aversiones ex perceptionibus nascantur; hæ autem obscuræ sint & debiles (§. LX. not.): facile hinc fieri potest, ut anima interdum errores committat circa actiones vitales. Nemo id negabit, qui perpenderit, quam facilis sit ex cognitione rei cujusdam obscura lapsus in errorem. Hinc varii etiam in morbis ab anima committi possunt errores: confer. *Illustr.* ALBERTI jam supra citata *Dissertatio de Amethodia naturæ.* De eo hic non dicam, quod per incongruas morborum curationes institutas, anima seducatur ad varias in morbis ataxias

conci-

concitandas: confer. *Illuſtr.* ALBERTI *Diſſert. de Naturæ lucta cum morbo & Medico.*

§. LXIV.

Alterum jam examini ſubjicimus argumentum, cujus quoque mentionem §pho LX. injecimus, ac quo quis contra reminiſcentiam vitalem, ut cauſam morborum, ita inſurgeret: *Si tantæ animæ vis eſt in corpus, ut, facta per reminiſcentiam vitalem perturbatione actionum vitalium, illud in morbos conjiciat: poterit anima, ſi modo velit, actiones vitales adeo intercipere, ut ſic pro lubitu ſuo corpori mortem inferat.* Sed *falſum eſt poſterius;* id docente experientia. *Falſum* itaque *erit & prius.* Captioſum ſane eſt, quod nunc commemoravimus argumentum, & veritatis quidem ſpecie plenum, re autem inane. Ad quod jam reſpondeo: animæ abſolutam vim in corpus agendi non competere, ut illa nempe pro lubitu ſuo in producendis actionibus vitalibus ſe gerere poſſit. Anima quidem agit in corpus, & eſt actionibus vitalibus implicita, quatenus illa nempe per ſtatum corporis internum ad ita, & non aliter, agendum determinatur. Hinc patet, quod certæ leges animæ ſint præſcriptæ ad agendum, ad quas ſe componere debet in agendo. Obſervat anima certas leges, dum ſentit (§. XXIX.), dum imaginatur & reminiſcitur (§. §. XXXIII. & XXXVIII.), dum appetit & averſatur (§. XIII.): certis hinc etiam legibus anima obtemperare debet in actionibus vitalibus occupata. Sed appetit anima integritatem corporis, ejusque ſtatum læſum averſatur (§. §. XVII. & XVIII.). Oriuntur

untur autem appetitiones & averſationes ex perceptionibus: quæ ſi ad ſtatum vitalitatis referri debeant, neceſſum eſt, ut eas mutationes anima percipiat, quæ circa actiones vitales verſantur, & quæ ad ſtatum corporis internum pertinent; id quod ope ſenſus vitalis perficitur (§. XLVII.). Hinc qualis mutatio in hoc ſenſu vitali, tanquam organo ſenſorio vitali contingit: talis quoque repræſentatio in anima. Inde jam appetitus & averſationes animæ oriuntur, ex quibus jam conatus agendi circa ſtatum vitalitatis reſultant. Exinde igitur conſpicitur, quod, licet homo maleficus externis circumſtantiis permotus appetat mori, tamen non moriatur; quia tale quid conſequi non poteſt, ad quod præſtandum, cum per ſtatum corporis internum anima non determinetur. Elucet etiam exinde ſapientia Conditoris, qui corpori conſervando, non autem deſtruendo animam præfecit, atque ita animæ in actionibus vitalibus certos terminos conſtituit, extra quos evagari non poteſt. Ideo tamen nil obſtat, quo minus anima ex determinationibus quoque externis adigi poſſit ad varias actionum vitalium perturbationes concitandas, & ita ſæpe, ut, ſi corporis ſtatus internus cum iis conveniat, mors quoque ſubitanea conſequatur e. g. ſi homo admodum gravi terrore percutitur, qui valde ſpiſſum in corpore alit ſanguinem, tunc quid mirum? ſi ſubito quoque moriatur. Hinc quamvis reminiſcentia vitalis, quatenus eſt cauſſa morborum, anſam ſuppeditet variis actionum vitalium perturbationibus, indeque pendentibus morbis producendis: fit

id

id neceſſario ex indole reminiſcentiæ vitalis, quatenus nempe mediate producta perceptione & reliquæ producuntur perceptiones, cum iisque connexæ mutationes in corpore (§. LIX.); quæ ſi naturam morbi expreſſerint, idem etiam morbus neceſſario redit (§. §. LX. & LXI.). Id quod per ſummum illum conſenſum, qui animam & corpus intercedit, neceſſum eſt. Intelligi jam poterit ex ſuppeditata reſponſione ad enarratum argumentum, quam parum ejus conſequens ex antecedenti elici poſſit.

E re omnino erat ad dubium in §pho expreſſum paulo fuſius reſpondere; ne quis & mihi hunc gravem affingat errorem, quod, cum anima actionibus vitalibus implicita eſſe aſſeratur, illa abſolutam vim habeat, pro ſuo lubitu in corpus agendi, ſine ulla determinatione corporis. Faciunt id, qui a doctrina Stahliana abhorrent, huicque addictis commemoratum errorem frivole imputant: in quo affingendo Stahlianis multus etiam eſt ad §phum præc. citatus BOROSNYAI in ſua ibidem pariter allegata *Diſſertatione*, qui *§pho 46. p. 32 & 33.* exinde animam actionibus vitalibus implicitam eſſe negat, quia *vita cum omnibus functionibus non ceſſat, ſi idem modo velit anima.* Utrum autem ejusmodi erronei quid Stahliano ſyſtemati medico tribui poſſit, judicent alii, omni tamen præjudicio ſepoſito. Quantopere animæ vires in corpus agendi limitatæ ſint ſecundum ſyſtema Stahlianum: id vel ille intelliget, qui prima modo deguſtavit principia Medicinæ Stahlianæ. Sed ad uſum practicum argumenti hucusque tractati deſcendendum erit, breviterque commonſtrandum, quid utilitatis in praxi medica inde exſpectandum ſit.

§. LXV.

Non ſolum ſcire cauſas morborum, ſed & easdem tollere, Medici eſt officium. Quare cum hactenus

nus actum ſit de reminiſcentia vitali, quatenus cauſa morborum; omnis autem theoria medica ſic comparata eſſe debet, ut inde rationes peti poſſint, ad morbos non ſolum rite explicandos, ſed etiam feliciter curandos: mearum hinc quoque partium eſſe judico, vel paucis tantum oſtendere, quomodo ex tractatione ſuperiori conveniens morborum a reminiſcentia vitali pendentium poſſit & debeat adornari curatio.

§. LXVI.

In reminiſcentia vitali perceptæ perceptiones, cum iisque connexæ corporis mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, mediate reproducuntur (§. LIX.). Quæ cum rationem morbi in ſe continere poſſint (§. LXI.); nemo autem negaverit, quod ejusmodi mutationes productæ in ſubjecto ex aliis rationibus ad morbos jam diſpoſito, graviora quoque damna concitare valeant: medici itaque officium erit, *in ſubjectis, quæ morbis obnoxia ſunt a reminiſcentia vitali orientibus, ad eorum ſtatum animi & corporis, ceterasque earundem circumſtantias accurate attendere, & pro re nata ejusmodi ſubjectis omni modo proſpicere, ne morbis per reminiſcentiam vitalem productis graviora naſcantur damna*, & ut verbo multa dicam: *morbis ipſis curandis præmittenda eſt conveniens corporis præparatio.*

§. LXVII.

Cum multi pendeant morbi a reminiſcentia vitali (LXI.); ad hujus autem excitationem medium quoddam requiratur, ſeu in ea excitanda mediate fiant omnia (§. LIX.): hinc patet quantopere Medicus

cus ad *tale medium attendere* teneatur, per quod perceptiones perceptæ, & cum iis in corpore connexæ mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, iterum producuntur, iidemque morbi denuo redeunt, qui jam ante fuerant præsentes.

Summæ utilitatis hæc regula est, & permultum faciens ad morbos rite curandos, qui ex reminiscentia vitali in corpore procreantur. Ex attenta enim consideratione talis medii, per quod nempe perceptiones perceptæ, iisque junctæ mutationes corporis denuo producuntur, eorundemque morborum fiunt reversiones, qui jam ante fuerunt, Medicus cognoscere poterit, quale ejusmodi medium sit, cujusque conditionis, atque ita an possit removeri, an non possit. Quid itaque in utroque casu Medicus observare debeat; jam indicandum erit.

§. LXVIII.

Per reminiscentiam vitalem, quatenus causam morborum, perceptiones perceptæ, cum iisque connexæ corporis mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, mediate denuo producuntur; atque hac ratione iidem quoque recurrunt morbi (§. §. LIX. & LXI.). Cum itaque in reminiscentia vitali, quatenus causa morborum, medium aliquod adsit, per quod iidem morbi toties modo iterum revertuntur, qui jam ante fuerant, quoties modo tale medium ejusmodi subjecto, quod morbo a reminiscentia vitali pendente obnoxium est, sese offerat: hinc sequitur, ut sublato tali medio, ejusmodi quoque morborum reditus omnino præcludatur. Quare jam sequens regula inde fluit: *medium, per quod perceptæ perceptiones, iisque junctæ corporis mutationes, quæ actionibus vitalibus erant intermixtæ, atque ita iidem morbi de-*

nuo producuntur, medicus removeat, si removeri potest, prospiciatque, ne unquam tale medium ægro iterum obveniat.

Sic v. g. lapide ex pristino loco plane sublato, tanquam medio, per quod rabies canina in viro illo, cujus mentionem in §phi *LXI. nota* fecimus, recurrebat: fiet, ut rabies canina non reditura sit; Cujus quoque reditus ita præcludi posset, si vir commemoratus hunc locum caveret adeundum, ne iste lapis offensionis visui suo se objiciat.

§. LXIX.

Experientia docuit auditionem verbi, vel objecti cujusdam sensibilis perceptionem, medium exstitisse, per quod & aliæ perceptiones perceptæ, cum iisque connexæ corporis mutationes, iterum producebantur, quæ sæpe gravissimæ fuere, ut epilepsia (§. §. LV. & LVII.), palpitatio cordis (§. LVIII.), vomitus (§. LXI. not.). Sed cum summa sit animæ & corporis consensio, ita ut cuicunque repræsentationi in mente convenientissima quoque respondere debeat mutatio (§. X.): quare, si ejusmodi verbo vel objecto sensibili, tanquam medio, per quod perceptæ perceptiones, cum iisque connexæ corporis mutationes iterum producuntur, alia perceptionum gratarum nempe & jucundarum series adjungeretur, adeoque diversa ab illa perceptionum serie, quæ per tale medium erat excitata; atque ita faciendo tamdiu continuaretur, usque dum per hujus rei crebrum exercitium habitus fuerit acquisitus: tum necesse est, ut aliæ etiam mutationes in corpore prodeant, salutares nempe corpori & diversæ ab illis mutationibus, quæ ante producebantur, eodem audito verbo, vel

per-

percepto eodem objecto sensibili. Quibus rebus sic comparatis, manifestum est, sequentem quoque regulam Medico esse exequendam in morbis curandis, qui a reminiscentia vitali pendent, & ubi medium in objecto quodam sensibili latet: *medio* scilicet *per quod perceptæ perceptiones, cum iisque connexæ corporis mutationes, utut noxiæ producuntur, alia adjungenda erit series perceptionum gratarum nempe & jucundarum, adeoque diversa a priori perceptionum serie; idque eo usque continuandum, donec habitus quidam fuerit acquisitus.*

§. LXX.

Ejusdem temporis reversio sæpe tale medium fuit, per quod iidem revertebantur morbi, qui jam ante fuerunt: ut v. g. perniones anniversarii, febres post annum accurate præterlapsum recurrentes, obrigescentia corporis statos dies imo horas observans (§. LXI. not.). Cum autem summus sit consensus corporis cum anima, ita, ut qualis in corpore fiat mutatio, talis quoque in anima oriatur perceptio (§. X.): necessum igitur est, ut ante proximum ejusmodi temporis reditum, tali mutatione corpori illata, qualis jam esset ad morbos præsentes curandos congrua, anima per mutationem hac ratione corpori inductam aliter quoque determinetur ad percipiendum; Ex quibus itaque jam sequens regula consequitur: *Medicus in morbis productis a reminiscentia vitali excitata medio temporis, congruis remediis morbis producendis prævenire sciat.*

Sic v. g. in pernionibus anniversariis loca illa corporis, ubi ante annum comparuerant, mature defendantur discutientibus;

probe tamen iis ſimul obſervatis, ſi opus fuerit, quæ per §phum LXVI. ſunt indicata. Et ſic in reliquis morbis, qui natales ſuos reminiſcentiæ vitali debent, medicus artis ſuæ peritus facile intelligere poterit, ad eos curandos quid ſpecialius applicari debeat. Huic ſpecialiori curationi adornandæ cum ea jam plane ſint accommodata, quæ hac de re generaliter tantum dicta ſunt: neque ad ſpecialiora deſcendam, cum, quid in caſibus ſpecialioribus obſervandum ſit, omne generale medico

SUFFICIAT.

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Ἐυεϱμίαν optat

MICHAEL ALBERTI,

Facultatis Medicæ & Philoſ. h. t. Decanus.

Quod olim THEMISTIUS ſuper l. de anima *dixit:* Si veritatem de anima cognoverimus valde magnum nobis erit introductorium ad omnem veritatem & ad omnes Philoſophiæ partes inſignes dat occaſiones, *id ad medicas veritates commode referri poteſt: Etenim in hoc viſibili mundano theatro anima hominis ſpiritualis & rationalis vivit & operatur in corpore, in cerebro mediantibus peculiaribus partibus ſuperiores ſuas functiones exequitur, cum nervis in univerſo corpore ſentit, cum ſub- & objectis materialibus negotiatur, organis ſenſoriis ad comprehendenda externa craſſa & ſubtilia objecta corporea utitur, adeoque ut ens ſimplex cum ſimplicibus & compoſitis materialibus objectis diverſimode occupatur,*

tur, & circa horum objectorum uſum, relationem, conciliationem & applicationem facultates intellectus, ratiocinationis, judicii, reminiſcentiæ & æſtimationis exercet: hæc officia dum extra ſuum corpus in vaſtiſſimo macrocoſmo eadem anima adminiſtrat, quid difficultatis ſubeſt, cur in proprio ſuo domicilio, aut microcoſmo eaſdem facultates exercere & applicare nequeat; illic operatur miniſtrantibus organis ſenſoriis, nec hic ſimilibus inſtrumentis caret: & cuinam uſui internæ partes ſenſibiles ſunt & prædicantur! quid impedit, quo minus interna negotia, corporis conſervationi deſtinata, æque rationaliter, circumſpecte & judicioſe adminiſtrentur, quo minus etiam rationalis reminiſcentia illis connecti queat! Quorſum quæſo ſolida & ſobria ratione affectus hæreditarios, annuos, menſtruos, alios ſtatarios, imo plane horarios referamus? deplorandæ rectius, quam admirandæ ſunt illæ torturæ, quibus efficacia cauſarum & qualitatum pure corporearum neceſſaria hoc in officio declamatur; qualis male ingenioſa fictio, omni nexu & uſu aperte deſtituta deprehenditur. Si enim varii animi mores, multæ inclinationes, omnes affectus pathetici in œconomiam vitæ naturalis manifeſtum ſuum influxum produnt, quis igitur adeo malevolus, moroſus & pertinax fuerit, ut reminiſcentiæ influxum nexum & uſum in officiis vitalibus abneget. Teſtimonia multa conſtant, quibus hanc de anima veritatem ulterius cognitam & confirmatam reddere poſſem. Dantur homines, qui initiante vere per plures dies abſtinentiam a cibis experiuntur, quando eodem præteriti anni tempore, vel ſalubri diarrhœa, vel ſudore extraordinario laborarunt; qui orgaſmum ſanguinis, inturgeſcentiam venarum, ardorem & pruritum in certis locis exacto tempore ſentiunt, e quibus antehac vel ſponte,

vel

vel arte ſanguinis copia cum euphoria depleta fuerat; qui clandeſtina tormina inteſtinorum percipiunt, quando artificialia eorum purgamina neglexerunt & retardarunt: qui inquietis noctibus & extraordinariis inſomniis monentur, quando alia certa ſanitatis adminicula ſuſcipienda ſunt: &c. &c. Et dum multa talia ſingularia reminiſcentiæ vitalis ſpecimina omnibus attentis & a moroſa repugnantia liberis obſervatoribus conſtant, ita præſenti Tuæ doctiſſimæ meditationi CLARISSIME DOMINE CANDIDATE perquam applaudo: Specimen igitur hoc themate docti laboris exquiſitæ & egregiæ Tuæ eruditionis edis, quam mente polita & perſpicaci tam in Regiomontana Academia, quam in Fridericiana auguſta Muſarum æde in elegantioribus Philoſophicis & ſolidis Medicis ſcientiis laudanda cura & cultura largo theſauro acquiſiviſti, inſuperque egregia morum ſuavitate, humanitate & integritate combinaſti & illuſtraſti, Teque reliqua blanda, pacifica, prudenti ac honeſta vita ſatis probaſti & commendaſti. Quare ab Inclyto ordine Medico promeriti honores Academici doctorales cum elogio & applauſu Tibi conferuntur, poſteaquam non ſolum in examinibus laudabilem eruditionem Tuam comprobaſti, quam inter nos cultiori ſtudio ex Inſtitutione Virorum in arte peritorum adauxiſti & perfectiorem reddiſti, ſed etiam hac Inaugurali Tua diſſertatione, quam docto & polito calamo, absque aliquo ductore & adjutore elaboraſti, dignum talibus Privilegiis Te præbuiſti, ut ſolus etiam ſine moderatore eandem defendere, Teque publico hoc ſymbolo ſufficienter commendare poſſis. Equidem ſemper manſuetudinem, integritatem & doctam capacitatem Tuam probavi & amavi. Macte eſto promeritis hiſce honoribus ac ſequentibus felicitatibus. Cæleſtis benedictio coronet

ronet

vonet industriam & reliquam ingenuam indolis Tuae facultatem exoptatis saluberrimis honestorum Tuorum cœptuum successibus ac eventibus, efficiatque, ut semper reminiscentiam moralem & vitalem de perenni animi ac corporis prosperitate optima mentis delectatione recolere possis. Vale.

Dab. Halæ Magdeb. IV. Calend. Maji A. O. R. CIↃIↃCCXLIII.

PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQVE

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IOANNES IVNCKERVS,

Med. Prof. Publ. Ordin.

QVi de morborum caussis agere solent, recte quidem praecipiunt, alias esse caussas naturales, *alias* non-naturales, *alias denique* praeternaturales. *Ad* naturales *morborum caussas, praeter ipsam corporis in praecipitem corruptionem procliuitatem, sexum, aetatem & varia temperamentorum genera referunt. Caussae morborum* non-naturales, *rerum, quas vocant, non-naturalium vsu peruerso potissimum absoluuntur. Ex* præternaturalibus *autem aliae in corpore ipso generantur; aliae vero extrinsecus eidem insinuantur, vt miasmata contagiosa, venena adsumta, aliaque fortuito deglutita, e. g. ossicula, spinae, vitri fragmenta κ. τ. λ. Sed omnes hae morborum caussae, si ex rebus non-naturalibus animi pathemata excipias, tantum sunt* materiales; *dantur vero etiam caussae morborum* immateriales, *ex labe originali potissimum oriundae, quo praeter sensuum externorum & internorum, ipsorumque animi pathematum abusum, propensio naturæ*

ad peruerse operandum maxime spectat. Inter hasce caussas immateriales, peculiaris quorundam indiuiduorum sensibilitas, & aegrotandi consuetudo, *seu promta motuum extraordinariorum, ob leuiores caussas, suscepta repetitio & habitualis quasi continuatio, citra materialem noxam, aut vere praesentem, aut eiusmodi motibus minus dignam, quantum ego quidem sentio, primum locum occupant; his enim neglectis multa in morbis phoenomena vel plane non, vel difficulter satis explicari poterunt. Recte itaque fecisti, DOCTISSIME CANDIDATE, quod ex caussis morborum immaterialibus, specialissimam aliquam,* vitalem *nempe* reminiscentiam, *inaugurali TVA dissertatione, vberius discutere, eamque tam rationibus, quam exemplis clariorem reddere allaborasti. Plura iam peculiaris TVAE eruditionis & scientiae tam philosophicae, quam medicae, publice saepius disserendo, dedisti specimina. Iam nouum addis, solida TVA dissertatione, quam ipsemet elaborasti, documentum, ex quo facile constare poterit, TE summos in arte medica bonores, non pro more saltim consueto, sed iure optimo, adplaudentibus omnibus, qui TE norunt, capessere. Faxit DEVS* feliciter, *TVISque laboribus omnibus vberrimos largiatur fructus. Scrib. in Fridericiana ad d.* XXIV. *Aprilis* CIↃIↃCCXLIII.

DOCTISSIMO CANDIDATO

AMICO PERCHARO

S. P. D.

GEORGIUS THEODORUS SCHINEMANN,

J. U. D.

EGo *vero magnopere laetor, quod tandem haec publica & longis votis jam exspectata occasio mihi se obtulerit,*

rit, qua & fidem liberare, & mei in TE amoris, quem nulla fata violabant, noua argumenta producere, TIBIque CANDITATE DOCTISSIME, aut quem titulum ego pluris facio, TIBI AMICE, summos in medicina honores, qui TVIS meritis jam parantur, gratulari, haecque bona verba scribere possum. Vix certe grata praeteriti anni memoria mihi incidit, quin TVI recorder & TVAM suauem familiaritatem, nostrasque frequentes, & illas saepe de non leui argumento contentiones, in mentem reuocem, quas nunquam fere sine insigni animi serenitate inceptas, nec sine multa amicitiae accessione finitas memini. Illum inprimis diem adhuc grauem sentio, quo me consuetudinem nostram interrumpere, conuentus amicorum communium turbare, & a Vobis, quo animo boni superi sciunt, discedere oporteret, quorum reminiscentia, si non mihi causa morbi fuit, non parum tamen aegritudinis & tristitiae excitauit. Velim ergo judices, quo desiderio illum nuntium exspectauerim, qui de TVA valetudine, TVAque fortuna referret, & qui diligentiam compensatam, honores digne collatos, Amicum DOCTOREM nunciaret. Crede mihi postquam TVAS litteras aperuissem, me tanta laetitia fuisse adfectum, vt animo meditarer, honorificum esse & nostra amicitia dignum, TVIS laudibus integras chartas destinare, & aliquod argumentum euoluere, quod mihi nec vile, nec adeo tritum videbatur. Enimuero animaduerti simul, TE quam primum esse conscensurum cathedram; mihique ideo verendum, ne sera fiat gratulatio mea. Multa itaque oratione & elogiis, quibus esses exornandus, plane postpositis, illud tantum curo, vt de constanti & sincero meo in TE adfectu iterum iterumque certior reddaris, vereque credas, me TE amare, & vehementer de TVO mu-

 tato

tato statu gaudere. Gratulor hinc, & ex animo precor, vt in eminente illa dignitate, quaevis TIBI fausta accidant, vt patriam mox familiamque saluus salutes, vt amico TVO faueas indesinenter. Dabam Vratislauiae secundo Calender. Aprilis. A. N. C. CIƆIƆCCXXXXIII.

Auch in der Ferne stell ich mir
Erlesner Freund Dich lebhaft für,
Dich, dem die Arbeits-vollen Stunden
Den Lorbeer so erwünscht gewunden.

Ich weiß Du gönnst mir diese Lust
Du kennst die Dir getreue Brust,
O! möchte mir es nur geschehen
Dich heut in Deinem Schmuck zu sehen!

Doch kan ich nicht zugegen seyn
So stellt sich dieser Glück-Wunsch ein:
Dich muß in Deinen künfftgen Zeiten
Nichts als vollkommnes Wohl begleiten.

Königsberg in Preussen
3. April 1743.

JO. FRIDER. TSCHEPIUS, M. D.

Wer Tugend und Verstand besitzt
Kan nach dem Gold der Weißheit graben;
Und wen die Wahrheit unterstützt,
Der wird von ihr auch Vortheil haben.
Ein Wissen sonder Grund heißt Wind
Der Schein macht wol die Tohren blind:
Allein bey nüchternen Gemüthern
Kommt nie ein falscher Schimmer an.
Wer Witz durch Wahrheit zeigen kann,
Den zehlt die Musen-Schaar vergnügt zu ihren Gliedern.

Ja

Ja wem zugleich die Vorsicht setzt
Zum Ziel die Treue kluger Lehrer:
Der sucht die Wahrheit unverletzt,
Und liebet sie als ein Verehrer;
Der denckt wie **Du Hochedler Freund**;
Der ist dem eitlen Wissen feind;
Der kennt mit **Dir** was würcklich nützet;
Der blicket nicht nach Geld, nach Ruhm:
Die Wahrheit heißt sein Heiligthum,
Aus dem so mancher Strahl der Weißheit auf ihn blitzet.

Nun lebe wohl! ich ehre **Dich**
Biß meinen Leib das Grab bedecket.
Ich liebe **Dich**, gleichwie **Du** mich
Hiezu durch **Deine** Huld erwecket.
Der Himmel selbst belohnt **Dich** nun.
Dich schmückt der DOCTOR-Hut. **Dein** Thun
Wird nun bekrönt, **Dein** Ruhm wird steigen.
Und Freund! die FAMA wird von **Dir**,
Reißt **Dich** das Schicksal gleich von mir,
Wie **Deiner** Freundschafft Frucht, so **Deinen** Ruff mir
zeigen.

Anspach den 24. Mertz.
1743.

Hiemit wünschte seinem Hertzens-Freunde
Glück, Dessen ergebenster Diener

Gottlieb Hertel, M. D.

PRAENOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

AMICO SUMMOPERE COLENDO

S. D. P.

G. H. BORTZ,

PH. ET A. L. M.

PErlegenti mihi eruditisſimam TVAM, Prænobiliſſime Domine CANDIDATE, *diſſertationem mira quædam omnium fere rerum in memoriam veniebat facies. Obſunt ac maximum iniiciunt terrorem ex latere ſpectatæ altero, cum ex altero conſideratæ proſunt ac mirifice delectant. Eant, qui hæc perſpicere cupiunt, per patentiſſimos rerum ordines; in TUIS ego ſubſiſtam, cum ex iis mihi occaſio de his cogitandi nata ſit ac meo maxime inſerviant ſcopo. Quæ in Medicina non nunquam eſt Lerna funeſtiſſimorum malorum reminiſcentia; ea in ipſa hac ſcientia ac reliqua vita eſt fœcundiſſima bonorum ingentium mater. Cur, quæſo, præſtantiſſimi VIRI per tot labores rerumque diſcrimina ad alta quævis nituntur, cum mercenaria fœdis torpent ingenia voluptatibus? Cur illi ſua non curant, niſi in aliorum orbisque cedant utilitates, cum hi curis ſuis in perparva corporis ſui peripheria, aut ſi fuerint maximæ in anguſtis domus ſuæ caccellis ſubſiſtunt? Cur itaque optimi mortalium ac nobiliſſimi non ſibi ſed aliis orbique maximis ſæpe preſſi incommodis vivunt? Curant nimirum hi divinæ indolis homines, ut ſit grata, quemadmodum eſt perpetua in animo rerum a ſe meditatarum, ſusceptarum ac peractarum reminiſcentia: Curant ut, cum ex ſuis inventis maxima in poſteros redundent beneficia, uſus eorum dulciſſimas nominum ſuorum continuo producat ideas. Hæc olim mundo* HIPPOERATES: ARISTOTELES: CICERONES: GALENOS; *hæc noſtris temporibus* CARTESIOS: LEIBNITIOS, STAHLIOS, HOFFMANNOS, *reliquosque VIROS nunquam morituros dederunt. Et quam impenſe lætor, cum TE, Prænobiliſſime Domine* CANDIDATE, *ſummis ab Ampliſ-*

ſimo

ſimo Medicorum Ordine honoribus digniſſimis laborum Tuorum præmiis ornatum propediem ſim viſurus. Ex conſuetudine enim doctiſſimis interpuncta ſemper diſcurſibus, qua mihi frui licuit, ac cujus proinde nunquam non accepta erit recordatio, læto iam ſentio præſagio, quanta cum dexteritate, quantoque cum fervore via de hominibus præclare merendi, quæ Tibi collata Doctoris dignitate panditur, ſis inceſſurus firmiſſima ubivis ponendo fundamenta, ut iucunda nominis TUI Titulique ex meritis accepti inter homines ſit maneatque memoria. DEUS ſervet fortunetque TE DOCTOR Ampliſſime, quo TE nomine virtute TUA parto inſigni cum gaudio mox mox compellabimus. Vale. Dabam Halæ Vened. D. VII. Calend. Maii A. O. S. MDCCXLIII.

NOBILI ET DOCTO

DOMINO CANDIDATO

AMICO CARISSIMO

S. D.

ADAMUS NIETZKI, PRUSSUS,

MED. CAND.

DIvinum *quid morbis ineſſe, illudque a medico ediſcendum,* magnus *docuit* HIPPOCRATES, *qui ſub ipſo fere initio* libri prænotionum: ει, inquit, τι ΘΕΙΟΝ ενεστιν εν τησι νȣσησι, και τȣτȣ την προνειαν εκμανθανειν. *Quid autem* HIPPOCRATES *per* το ΘΕΙΟΝ εν τησι νȣσησι *intellexerit, quod medico perdiſcendum eſſe commendat: bujus rei genuinus ſignificatus difficile conſtitui poterit, licet de eo copioſe ſit diſputatum ab eruditis. Quodſi tamen* HIPPOCRATES *ex ſe ipſo explicari debeat; idque hic probe attendatur, quod in ſcriptis* Hippocraticis *multa reperiantur, quæ* HERACLITI *philoſophiam redolent: facile hinc colligere licebit, voluiſſe* HIPPOCRATEM *hoc ſuo effato indicare,*

quod

quod multi in homine eveniant morbi, quorum cognitio, non nisi habita simul ratione quadam mentis corpori iunctæ acquiri possit. Inter alia enim Philoſophiæ Heraclitææ *dogmata, id non exiguum erat, quo omnes animæ, imo etiam dæmones ex Deo quasi emanasse, indeque potentiam quandam, in corporibus varias mutationes producendi impetrasse, tradebatur: quæ si productæ fuerint,* divinum *quid contigisse judicabatur. Ejusmodi dæmones vi quadam pollere credebantur, homines conjiciendi in morbos sæpe atrocissimos. Quo plane inepto dogmate cum medici quidam* HIPPOCRATIS *tempore viventes, ad ægrum sanandum vocati, artis autem suæ ignari, supra modum uterentur, ut inscitiam suam tegerent; morbo, quo æger decumberet,* divinitatem *quandam prætexentes, ægroque nuntiantes, morbum suum a dæmone esse excitatum. In ejusmodi medicos, vel potius agyrtas noster* HIPPOCRATES libro de morbo ſacro *graviter animadvertit. Qui cum vero ipse auctor sit, medico ediscendum esse* το ΘΕΙΟΝ εν τησι νȣσησι *aliam utique cum eo, quod* divinum *esse solet in morbis, sententiam ipsum conjunxisse elucet; nisi ejusdem vitii* HIPPOCRATEM *simul arguere velis, quod ipse in aliis summa reprehensione dignum esse censuit: id quod autem de tanto viro ne cogitare quidem fas est. Verum enim vero cum in multis scriptorum suorum locis satis diserte declaraverit* HIPPOCRATES, *ea esse ad morbos explicandos, accurateque dijudicandos conferenda, quæ & ex ipso homine depromuntur, & ad hominem possunt facilius adplicari: nihil jam obstare video, quo minus, rebus sicce comparatis, intelligatur, per* το ΘΕΙΟΝ *in morbis perdiscendum nil aliud contendisse* HIPPOCRATEM, *quam quod multi morbi cognosci nequeant sine attenta mentis consideratione; utpote ex cujus statu rationes sæpe reddendæ veniant, quare corpus atrociter excrucietur. Quod ex sententia* HIPPOCRATIS *omnino* divinum *esse debet, quippe quem in multis aliis* HERACLITVM *esse secutum constat; quidni ille etiam hoc loco ex hujus philosophia dictum terminum depromere potuisset? Sed quid multa opera, ad genuinum* HIPPOCRATIS *sensum de* τω ΘΕΙΩ εν τησι νȣσησι *vindicandum? quem* TV, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, *in doctissima* Tua

dis-

dissertatione jam ad vivum expressisti. Ex reminiscentia vitali *caussas morborum eruis: terrificum, imo plus quam divinum esse mihi initio videbatur thema, cujus pertractationem in dissertatione Tua suscepisti. De qua autem cum plagas aliquot mihi a Te insinuatas perlegissem: certe deprehendi, omnia esse & eleganter, & rei ipsi convenienter tractata; opereque ipso commonstratum, quanti usus & medico esse possit psychologia. In quo ego a* Te *quantum dissentiam: id publice in consecratissimo Apollinis templo indicare non intermittam, a* Te *jam invitatus ad disputandum. Ast cum* TU *interea,* CANDIDATE PRAESTANTISSIME, *egregio* Tuo *specimine, benignaque Minerva elaborato satis satisque orbi litterario probas,* Te *salutaris artis machaoneæ præceptis præclare esse imbutum; imo ex commendatione* magni HIPPOCRATIS το ΘΕΙΟΝ *εν τησι νȣσησι bene edidicisse videris: quid itaque mirum? si ipse* venerandus senex Tibi *jam augur existit,* Te, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, admirationem & boni medici existimationem merito esse acquisiturum. *Quod neque secus contingere potest, neque aliud quidquam de homine sperandum, qui per complures annos indefesso quodam studio in castris Æsculapii militavit. Cujus rei me testem habes,* CANDIDATE PRÆSTANTISSIME, *qui* Te *diligentem & fidum commilitionem jam habui in* illustri Albertina, *imo talem quoque in* illustri Fridericiana *vidi. Non itaque ex more recepto, sed jure quodam promerito summos in medicina honores capessis: quos* Tibi *jam ab* amplissimo medicorum ordine *propediem conferendos ex animo gratulor. Faxit DEUS O. M. ut fausta quævis* Tibi *eveniant & felicia: quid? ad vota* Tua *fluant omnia. Et quod reliquum est, uti* Tecum *a condiscipulatu vixi conjunctissime: sic quoque esse futurum spero, ut, quæ inter nos a pluribus annis intercessit amicitia, ea jam in posterum constanter servetur. Hinc jam discessurus nosti,* Tibi *inesse facultatem, etiam absentium reminiscendi. Vale.*

Dabam in Academia Halensi. D. VII. Calend. Maii. A. R S.

cIↃ IↃCCXXXIII.

K PRÆ-

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

AMICO SUO INTIMO

S. D. P.

GEORGIUS CHRISTIANUS BURCKHARDT,

L. L. C.

TILSA-BORUSSUS.

Quod alias dici ſuevit: eſſe Theologorum curare animam, & Medicorum ſanare corpus: illud jamiam pedetentim ab his in dubium deduci incipit. Contingit enim nobis ſingulis fere diebus adverſa valetudo, quæ corpori noſtro ingentes infert adflictiones gravesque calamitates. Ad quas propulſandas quanquam diligentiſſima adhibenda ſit circumſpectio: hi tamen non raro periclitantur Medici, atque male applicata audit eorum cura, qui unice reſpiciendo corpus, omnem ſpem ſuam in ipſum collocant: cum contra conſultiſſime inſtituitur ab his, qui eousque non ſubſiſtunt, ſed præcipue ob mutationes intrinſecus corpori noſtro obvenientes contemplationem ſuam ad aliud altioris indaginis objectum extendunt. Non duce eorum Theoria ſed propria experientia ipſis credere nobis fas eſt, quod nempe effectus morbi diverſi & quandoque mirifici maxime mediante diſpoſitione animæ progignantur: Nam multa inde mala conſequuntur, quæ mox mitiora, mox acerbiora, ſi adfectus animi, ut plurimum fit, excitantur, irritantur, atque commoventur. Stabilita itaque quadam œconomia inter corpus & animam hominis: recte dijudicant, utriusque quoque rationem habendam, quoniam, quoties quis in morbum incidit; ab eo non ex parte, ſed in totum liberandus & ſimul cauſa ejus radicitus tollenda eſt; id quod ſæpe vero minime fieri poteſt, conſiderato tantum alterutro. Hinc graviſſimum petunt argumentum Medici, quo ſibi jus æque ut Theologi dicunt, pro obtinenda facultate quadam adminiſtrandi animam noſtram, quatenus ſe illorum auxilio ſubtrahere nequeat. Sunt Medici nobis ægrotantibus validiſſimo

propu-

propugnaculo, & quodsi in eo quam tristissimo statu versemur, quis nostrum est? quem non oporteat hos sibi facere carissimos, ad hos confugere; hosque consulere ea fiducia, eo animo, quo de nobis solliciti sunt. *Surgis ex eorum ordine* CANDIDATE PERDOCTE *ad disceptandum materiam, quæ, prout singularis indolis est, & amussi, in tua arte exactisſime accommodata, tum benignam ingenii venam, tum judicii acumen loquitur.* *Surgis ea propter in Doctorum numerum adscitum iri: unde, quam laudem, quam gloriam aperto Marte* TIBI *vindicas, plenus gaudii* TIBI *ex toto pectore gratulor.* *Ut laborum omnium* TUORUM, *de quibus* TIBI *contentio erit, successus eveniant felicissimi, iterum atque iterum* TIBI *apprecor.* *Tandem, quod carissimum vitæ genus inter nos junxerat infantia, pueritia, quodque juventus tam in Academia Albertina, quam Fridericiana confirmaverat: non possum, quin* TIBI *insistam precibus flagranti ex animo, vt tanta inde conflata amicitia me prosequaris indesinenter.* *Vale.* *Dabam in Academ. Halensi D. VII. Calend. Maii.*

cIↃIↃCCXXXXIII.

PRÆNOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

AMICO OPTIMO

S. D. P.

JACOBUS THEODORUS KLEIN,

TILS. BOR. L. L. C.

C*Athedram conscendis*, amice honoratissime, *morbos explicaturus, quibus humana corpora mire corripiuntur, & qui eo magis evolvi merentur, cum latente vel singulari causa sæpius prorepant: immo vero in instanti, ut ita dicam, mystico quodam modo interdum oriri videantur.* *Miranda satis rerum facies, quæ earum causas detegenti jucundisſimum præbet spectaculum!* *Iuvat cernere, quæ*

TAndem laude suos Hygiaea coronat amicos
Artes ingenue qui didicere suas,
Aetatem studiis cunctam sacrare volentes,
An non obseruant, HOC AGE dulce, solum!
Impiger ohe labor belle discrimina vincis
Omnia, per scopulos fers & ad astra feros!
Haec nisi repprererint Hygiaeae vera ministri
In TE, non lauro tempora cincta forent.
Accipe pro meritis dignissima praemia summis,
Hocce TIBI tribuet quae Meditrina die.
Integra Supremum Numen TVA coepta secundet,
Omni sis patriam prosperitate redux.
Vita TVAE quorum curae mandabitur illos
Ars solers saluos restituatque TVA.
Sis felix, sospes vigeas, viuas sine tristi
Offensa, atque mei sis memor, atque Vale.

Hisce Praenobilissimo Dn. Doctorando applaudere voluit

GEORGIVS GOTTFRIED WENDT,
Med. Cult. Oppon.

